

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens Epistolas, ad T. Pomponium Atticum, M. Iunium Brutum,
Quinctum fratrem

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In Epistolarvm M Tvllii Ciceronis Ad T Pomponivm Atticvm Librvm XI Pavlli
Manvtii Commentarivs

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770415](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770415)



IN EPISTOLARVM
M. TVLLII CICERONIS

A D

T. POMPONIVM ATTICVM

LIBRVM XI

PAVLLI MANVTII

COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. 1.



ACCEPI a te signatum libellum, quem Anteros attulerat; ex quo scire nihil potui de nostris domesticis rebus: de quibus acerbissime afflictor, quod, qui eas dispensavit, neque adest istic, neque, ubi terrarum sit, scio. omnem autem spem habeo existimationis, priuatarumq. rerum in tua erga me mihi perspectissima beneuolentia; quam si his temporibus miseris, & extremis praesiteris; haec pericula, quae mihi communia

sunt cum ceteris; fortius feram, idq. ut facias, te obsecro, atque obsecro. ego in Cistophoro in Asia habeo ad HS bis uicies. huius pecuniae permutatione fidem nostram facile reuere. quam quidem ego nisi expeditam relinquere putassem, credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere; commoratus essem paulisper, nec domesticas res impeditas reliquissim. ob eamq. causam serius ad te scribo, quod sero intellexi; quid timendum esset. Te etiam atque etiam oro, ut me totum tuendum suspicias; ut, si y salui erum, quibuscum sum, una cum ijs possim incolumis esse, salutemq. meam beneuolentiae tuae acceptam referre. Vale.

EXPLANATIO



ACCEPI 3. hanc epistolam scripsit, cum, ex Italia profectus, ad Pompeium iam peruenisset. scripsit autem Roma. LIBELLVM 3. libelli neq. complicantur; ut epistolae, neq. scribuntur: siquidem in his inscriptio illa, qua amicis salutem dicimus, omittitur. Libellum explano, scriptum, non epistolam, eo sensu, quo in fam. in ep. D. Brut. Ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt. Alibi Libellus aliud significat: sed, quoniam haec ex peruulgatis eorum libris, qui dictionum significationes collegerunt, cuius licet petere; quae huius loci non sunt, consulto praetermittam.

QU I eas dispensavit 3. Philotimus libertus: cui rerum suarum curam cum Cicero commisisset: deinde cum id fecisse paenituit; ut etiam paulo post his uerbis significat, Credens ei, cui tu scis iam pridem minime credere. **EXISTIMATIONIS** 3. ut ijs satisfiat, quibus debeo. nam ob hanc causam de existimatione Ciceronis agebatur. Caesat initio lib. iii. de bello ci. Ad debitorum tuendam existimationem, ditione Ciceronis agebatur. **PERICULA** 3. partim quae iam sunt, ut in bello, partim quae dubio rerum exitu impendent. **CISTOPHORO** 3.

STOPHORO ꝛ nummi genus Asiatici. hanc pecuniam Cicero, ex administratione Ciliciae collectam, apud publicanos reliquit: deinde, quod ibi minus tuto fore uidebatur, dimidiam fere partem exegit, & ad Egnatium argentarium transtulit. HS bis & uicies ꝛ si ad nostratis pecuniae rationem redigatur, scutati erunt sexaginta sex millia. &, ut dicam quod sentio, de hac pecunia mentionem facit, ut opinor, epistolarum, quae familiares uocantur. l. 5. quo in loco non HS XXI, sed HS bis, & uicies, legendum puto. Quod autem ibi, eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse, ait, id uideli cet puto eum scripsisse, ut Rufum de HS centum millibus amissis consolaretur, non quod reuera ita factum esset. nam ex duabus sequentibus epistolis apparet, eius pecuniae dimidiam fere partem a Cicerone exactam, & apud Egnatium trapezitam esse depositam: ut tantummodo, quod reliquum in Asia fuit, id Pompeius habere potuerit, nihil amplius, quod uidetur esse uerisimile, cum paullo post de Pompeio dicat, Cui magnam dedimus pecuniam mutuam. necesse est enim, ut haec pecunia sit ex ea, quam in Asia habebat in cistophoro. nam Romae non erat unde sumeret; siquidem, cum e Cilicia redijt, nihilo meliores offendit res domesticae, quam publicae; ut ad Plancium scribit ep. fam. l. IV. At uero, dicit aliquis, eam quoque pecuniam, quae apud Egnatium deposita erat, fieri potest, ut Cicero mutuam deinde Pompeio dederit, non modo eam, quae in Asia remanserat: atque ita, quod ad Rufum scribit, confirmabitur; ut omnem Pompeius habuerit. Credibile non est. nam, quo tempore apud Egnatium pecunia erat, Cicero egebat rebus omnibus, quemadmodum epistola, quae post sequentem legitur, ostendit: ut, oppressum rerum omnium inopia mutuam pecuniam dedisse, uerisimile non sit. quod si quippiam toget, cur ea pecunia non uteretur, cum egeret: respondebo, Ciceronem, cum de dimittenda Terentia cogitaret, eam pecuniam hoc consilio uoluisse seruari, ut pro dote numerare posset. Hac de re suo loco. PECUNIAE permutatione ꝛ si curabis, ut, quod in Asia pecuniae apud publicanos habeo, id tibi Romae per eosdem publicanos numeretur. FIDEM nostram ꝛ praestando quod promisi. EXPEDITAM ꝛ fidem. Fides autem uerbum est proprium debitorum, & saepe cum uerbis translatis apte coniungitur. ut apud Caesarem initio libri III. de bello ci. Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae soluerentur. CREDENS ei ꝛ Philotimo; cui rerum priuatarum curam Cicero crediderat. SCIS ꝛ non est hic, Scis, pro non ignoras, neque ad scientiam refertur, sed ad cautionem. sensus est. Ego Philotimo credidi, tu cautior, iam pridem ei scis non credere. ut illud apud Terentium, Scisti uti foro. SERO intellexi, quid timendum esset ꝛ de fidei & existimationis meae periculo, deq. rerum domesticarum iactura: quod antea non intellexeram, Philotimo credens. ob eamq. causam ad te scribo, ut eam curam tu suscipias, tuaq. administratione & diligentia prouideas, ne quid de mea fide & existimatione detrahatur. INCOLUMIS esse, salutemq. ꝛ haec non ad uitam pertinere, sed ad facultates: quae Philotimi negligentia male affectae cum essent, orat, ut eas Atticus diligenter curet, nam, quod ad uitam attinet, Attici opera qui egebat, praesertim Pompeianis saluis? at uero in facultatibus ualde egebat: quarum conseruationem, quo magis Atticum ad eas tuendas excitet, Incolumitatem appellat, & salutem suam.

Cicero S. D. Attico.

2.

LITTERAS tuas accepi prid. non. Febr. eoq. ipso die ex testamento creui hereditatem. ex multis meis, & miserrimis curis est una enata, si, ut scribis, ista hereditas fidem, & famam meam tueri potest: qua quidem te intelligo, etiam sine hereditate, tuis opibus defensurum fuisse. De dote quod scribis, per omnes deos te obtestor, ut totum rem suscipias, & illam miseram mea culpa, & negligentia, tuare meis opibus, si quae sunt, tuis, quibus tibi molestum non erit, facultatibus. cui quidem deesse omnia, quod scribis, obsecro te noli pati. in quos enim sumptus abeunt fructus praediorum? Iam illa HS LX, quae scribis, nemo mihi unquam dixit ex dote esse detracta: numquam enim essem passus. sed haec minima est ex iis iniuriis, quam accepi; de quibus ad te dolore, & lacrymis scribere prohibeor. Ex ea pecunia, quae fuit in Asia, partem dimidiam fere exegi. tutius uidebatur fore ibi, ubi est, quam apud publica

nos. Quod me hortaris, ut firmo sim animo: uellem possem aliquid asserere, quam obrem id facere possem. sed si ad ceteras miserrimas accessisset etiam id, quod mihi Chrysiippus dixit parari, (tu nihil significasti) de domo; quis me miserior uno iam fuit? oro, obsecro, ignosce: non possum plura scribere. quanto maerore urgear, profecto uides. quod si mihi commune cum ceteris esset, qui uidentur in eadem causa esse; minor mea culpa uideretur, & intolerabilior esset: nunc nihil est, quod consoletur; nisi quid tu efficis, si modo etiam nunc effici potest, ut ne qua singulari afficiar calamitate, & iniuria. Tardius ad te remisi tabellariu, quod potestas mittendi non fuit. A tuis & nummorum accepi HS LXX, & uestimentorum quod opus fuit. Quibus tibi uidebitur, uelim des litteras nomine meo. nostri meos familiares. signum requirerent, aut manum: dices iis, me propter custodias ea uisum se. Vale.

EXPLANATIO

EOQ. ipso die ꝛ qui fieri potest, ut eo ipso die hereditatem adeat, quo litteras ab Attico accipit, et ex ijs litteris de hereditate cognoscat? dicit enim, Si, ut scribis, hereditas fidem, & famam meam tueri

meri potest. hoc quidem certe quam ueritati repugnet, nemo non uidet. necesse igitur est, ut scripserit Atticus, non, se creuisse hereditatem illam Ciceronis nomine, sed futurum ut cerneret pridie non. Feb. quo die casu accidit, ut eae Attici litterae Ciceroni redderentur. Cernere autem hereditatem quid sit, non necessarium est exponere: siquidem id alij ante nos ex ueterum scriptis ostenderunt. CREVI & creuerat scilicet Atticus Ciceronis nomine, non Cicero, qui cum Pompeio erat. dicit igitur, Creui, ad Atticum respiciens, qui id a se factum esse significat. ENATA & exijt, mihi grauis iam non est. metaphora sumpta ab infantibus utero exeuntibus. id enim proprie est Enasci. DE dote & scripserat Atticus, Terentiam, cum in sumptus necessarios non haberet, sumere de dote, cuius etiam nomine accepisset HS LX. turpe hoc Ciceroni, contraq. eius existimationem uidebatur esse: qui uel uniuersam dotem uxori reddere debebat, uel, si minus id uellet, suis eam sumptibus alere; non committere, ut propter indigentiam detrahere quotidie aliquid de dote cogere. Suscipe igitur, inquit, totam rem, & illam meis opibus, tuis facultatibus tuere; ne posthac ipsa tuam dotem quasi corrodere ac deminuere cogatur. Nam, de Tulliae dote a Dolabella exigenda, non uideo, qui possit intelligi: cum diuortium hoc tempore nondum factum esset; nec Cicero abducere a Dolabella Tulliam ausus esset, florente Caesare, pulso iam in Graeciam Pompeio: cum Dolabella apud Caesarem gratia ualeret. Praeterea cur de diuortio credam, cum aliquanto post hoc tempus, amissis iam Hispanijs, Tulliam apud Dolabellam esse, ipsius Dolabellae ad Ciceronem litterae declarent? sunt enim hoc initio: Si uales, gaudeo: & ipse ualeo: & Tullia nostra recte ualeat, Terentia minus bene habuit. Post pugnam uero Pharsalicam, dimissam esse Tulliam a Dolabella, facile probatur. MISERA mea culpa, & negligentia & qui ante discessum meum curare debui, ut illi consultum esset, rebus domesticis expeditis, in quo meam culpam, & negligentiam agnosco. OPES & uerbum, Opes, totum, quantumcumque possumus, significat; & plus est, quam Facultates. nam opibus facultates includuntur, facultatibus opes non item. QVAS accepi, & a Philotimo, in domesticis rebus, quas ille, sibi a me commendatas, neglexit. Hoc apertius in epistola superiore. Ex ea pecunia, quae fuit in Asia & meminit superiore epistola. IBI, ubi est & apud Egnatium. apparet ex epistola sequenti. QVAM apud publicanos & in Asia scilicet: in qua L. Scipio, Pompeij focer, cum imperio erat, pecuniasq. ab omnibus quo iure, qua ne iniuria cogebat: ut Ciceroni tutius omnino uideretur, pecuniam apud Egnatium argentarium Romae habere, quam apud publicanos in Asia, quae Scipionis libidini & auaritia esset exposita. Lege Caesarem l. 3. de bello ci. De domo, & id patari dixerat Chrysippus, ut domo sua Cicero, quam habebat in Palatio, priuaretur, propterea quod esset cum Pompeio. QVOD si mihi commune cum ceteris esset & hoc, inquit, per se mihi dolendum est, quod domo priuer, sed multo magis, quod ex omnibus Pompejanis hoc incommodo unius afficiat, quodq. singularis sit mea calamitas, nam, si commune mihi hoc esset cum ceteris, qui in eadem causa sunt, minor mea culpa uideretur, & eo tolerabilior esset. MEA culpa & quod ad Pompeium profectus sum. NISI, quod tu efficias & aptius, Nisi quid tu efficias, placet enim dubitanter poni, nam Atticum in ea re quidquam efficere, qui poterat certum esse Ciceroni, cum supra dicat, Tu nihil significasti praeterea: sed haec argumentis probare putidum est. POTESTAS mittendi non fuit & ut in exercitu, non enim facile tabelarios, cum uelis, mittere conceditur. TUIS & qui res tuas in Epiro curant, nam ea transierat, ad Pompeium in Graeciam proficiscens. CUSTODIAS & eos, qui in exercitu obseruare solent, ne litterae, aut nunciij imperatoris iniussu quoquam mittantur.

Cicero S. D. Attico.

3.

QVIBUS hic agatur, scire poteris ex eo, qui litteras attulit: quem diuini tenui, quia quotidie aliquid noui expectabamus. neq. nunc mittendi tamen illa causa fuit, praeter eam, de qua tibi rescribi uolui. Quod ad kal. Quint. perimet, quid uellem: utrumq. graue est, & tam graui tempore, periculum tantae pecuniae, & dubio rerum exitu, ista, quam scribis, abruptio. quare, ut alia, sic hoc uel maxime tuae fidei, beneuolentiaeq. permitto, & illius consilio, & uoluntati: cui miseriae consuluissem melius, si tecum olim coram potius, quam per litteras, de salute nostra, fortunisq. deliberassem. Quod negas praecipuum mihi nullum incommo- dum impedere: etsi ista res nihil habet consolationis, tamen etiam praecipua multa sunt, quae in profecto ui- des grauissima esse, & me facillime uitare potuisse. ea tamen erunt minor a, si, ut adhuc factum est, administratione, diligentiaq. tua leuabuntur. Pecunia apud Egnatium est. sit a me, ut est, neque enim hoc, quod agitur, uideatur diuturnum esse posse, ut scire iam possim, quid maxime opus sit. eisi egeo rebus omnibus; quod is quoque in angustijs est, quicum sumus; cui magnam dedimus pecuniam mutuum, opinantes, nobis, constiuitis rebus, eam rem etiam honori fore. Tu, ut antea fecisti, uelim, si qui erunt, ad quos aliquid scribendum a me existimes, ipse conficias. Tuis salutem dic. Cr. ra, ut ualeas. in primis id, quod scribis, omnibus rebus cura, & prouide, ne quid ei desit, de qua scis me miserrimum esse. Idibus Iun. ex castris

EXPLA.

EXPLANATIO

EAM, de qua tibi rescribi noluiſi ꝛ eam ſcilicet, quae ſequitur. QVOD ad Kal. Quint. ꝛ omnino Cicero-
ni erat in animo Terentiam diuinitere: ſed, hoc diſſerre, duabus de cauſis commodum uidebatur:
& quod ipſam minus offeſum iri putabar, ſi matrimonium non propere abrumperet, ſed lente quali-
diſſueret: & quod ſpoliati pecunia, quae pro dote numeranda eſſet, dubio praefertim rerum exitu, no-
lebat, nam, ſi ei de Pompeij uictoria certum fuiſſet; de pecunia cur laboraret, non erat; quae ſalua repu-
ris bonis numquam eſſet defutura, Ciceroni praefertim, qui magna Pompeio mutuam dediffet. cum uero
dubius adhuc rerum eſſet exitus; pecuniam ipſe habere in omnem euentum, quam Terentiae pro dote
reddere, malebat. ſcripſerat igitur Atticus, ſe ſcite cupere ad Kal. Quint. quid uellet Cicero, diuortii
proferre, & pecuniam interea ſibi habere, an diuortium ſtatim facere, & pecuniam pro dote numerare
utrumque, reſpondet, graue eſt, nam & tam graui tempore tantam pecuniam, quanta ſcilicet apud Egna-
tium a me eſt, Romae habere, periculoſum uideatur, uel quod nocturnae domorum expugnationes fieri
poſſunt; uel quod timendum eſt, ne Caefar, qui urbem tenet, eorum, qui cum Pompeio ſunt, bona pro-
ſcribat: & Terentiae dare factu diuortio, non adducor, ut in rem meam eſſe credam; dubio rerum exitu,
cum incertum ſit uter uincat, Caefar, an Pompeius, nam Caefare uictore, nos, qui Pompeium ſecuti ſu-
mus, in anguſtijs, atque in magna rei pecuniariae difficultate eſſemus; tumq. diuortij facti, & pecuniae
Terentiae datae, fruſtra paeniteret. Dicit autem, Iſta, quam ſcribis, abruptio, propterea quod Atticus ſcri-
pſerat, ſibi quidem uideri Terentiam quamprimum eſſe repudiandam; auctoꝝq. Ciceroni erat, ne diſſer-
ret, ſed abrumperet, quod ex Attici conſilio non feciſſe, Ciceronem deinde paenituit. ſignificat hoc in e-
piſtola huius libri decima quarta, cum dicit, Memini omnino tuas litteras. ILLIUS conſilio, & uoluntati;
ILLIUS, Terentiae conſilio, & uoluntati, quia, ſi iudicabit hoc tempore diuortium eſſe faciendum, conſilium
ILLIUS, & uoluntatem ſequar. Terentiae autem Ciceronem de diuortio permiſiſſe, plane cognoscitur ex
epiſtola, quam ad eam ſcripſit hijs uerbis: Quod ſcripſi ad te proximis litteris de nuncio, remittendor,
quae ſit illius uis hoc tempore, & quae concitatio multitudinis, ignoro, totum iudicabis quale ſit; &
quod in miſerrimis rebus, minime miſerum putabis, id facies. De ſalute noſtra, fortunaſq. ꝛ cum, n. per li-
teras recum agebam; ad Pompeium proficiſceret, nec ne; ad ſalutem, & ad fortunam noſtras illa delibera-
tio pertinebat. Nihil habet conſolationis ꝛ nam incommoda, quae mihi impendent, etiam ſi cum mul-
tis communia ſint futura, non ideo tamen leuora ſient. itaque quod negas praecipuum mihi nullum in-
commodum impendere: ut aſſentiar ita eſſe; tamen iſta res nihil habet conſolationis; ſed non ita eſt. ni-
etiam praecipua ſunt multa: ex te uidelicet familiari; quam impeditam reliquerat, ad Pompeium ex Ita-
lia profectus, hoc infra declarat hijs uerbis: Ea tamen erunt minora, ſi adminiſtratione, & diligentiaq. tua
leuabuntur. FACILISME uitare potuiſſe ꝛ ſi paulisper commoratus eſſem, nam prohibiſſem, ut & eſſet
unde ſatiſfieret ijs, quibus debeo; & Terentiae pro uictu, ne detrahere de dote cogeretur. Haec ſunt, quae
appellat grauiffima incommoda. *Sic tamen, ut eſt ꝛ* quamquam Attico & Terentiae de diuortio per-
mittat, offeudit tamen eam pecuniam ſe nolle ad Terentiam dotis nomine transferri, quam apud Egna-
tium trapezitam depoſuerat, & hoc dicit, ueritus, ne Terentia, ſi ſtatuiſſet diuortium eſſe faciendum, At-
tico concedente, eam pecuniam auferret: qua priuari tam duris temporibus Cicero nolebat. Hoc,
quod agitur ꝛ uter uincat, Caefar, an Pompeius, non uidetur, inquit, diu bellum poſſe duci. *Ut ſcire u-
poſſim, quid maxime opus ſit ꝛ* Vi, hic accipio pro etiam, ſenſus eſt. Licet ſcire iam poſſim, quid mihi facien-
dum ſit, dimittenda Terentia, nec ne: uolo tamen, quia belli exitus non longe abeſt, interea pecuniam a
me eſſe, deinde addit alteram cauſam, & ait, Et ſi ego rebus omnibus: ut oppreſſum rerum omnium ino-
pia, priuari ea pecunia non oporteat. Ad intelligentiam autem huius loci maxime pertinet, ſi hoc tenea-
tur, Ciceronis conſilium fuiſſe, ut, ante quam dotem redderet, exitum rerum expeſtaret, ne, ſi quid du-
rius in bello accidiffet, pecunia priuatus egeret. Ne quid ei deſit ꝛ Terentiae.

Cicero S. D. Attico.

4

ACCERI ab Iſidoro litteras, & poſtea datas
binas. ex proximis cognoui praedia no ueniſſe, ni
debeo ergo, ut ſuſtineretur p te, de Fruſinati, ſi modo futu-
ri ſumus, exit mihi res opportuna. Meas litteras quod re-
quiris, impediore inopia rerum, quas nullas habeo litte-
ris dignas, quippe cui nec, quae accidunt, nec, quae agun-
tur, ullo modo probentur. utinam coram tecum olim po-
tius, quam per epistoas. Hic tua, ut poſſum, tueor apud
hos, cetera Celer. ipſe fugi adhuc omne munus, eo magis,
quod ita nihil poterat agi, ut mihi, & meis rebus apu-

eſſet. Quid ſit geſtum noui, quaeris: ex Iſidoro ſcire po-
teris: reliqua non uideatur eſſe difficiliora. Tu id uelim,
quod ſcis me maxime uelle, cures, ut ſcribis, ut facis.
Me conſpicit ſollicitudo, ex qua etiam ſumma infirmitas
corporis: qua leuata, ero una cum eo, qui negotium ge-
rit, eſtq. in ſpe magna. Brutus amicus in cauſa uerſatur
acriter. Haecenus fuit, quod caute a me ſcribi poſſet. De
penſione altera, oro te, omni cura conſidera, quid ſit fa-
ciendum, ut ſcripſi iſ litteris, quas Pollex tulit. Vale.

EXPLA-

EXPLANATIO

ACCÉPI ꝛ hanc scripsit Dyrrhachij, & ut ex ipsa licet conijcere, post eam pugnam, qua Pompeius imperator appellatus est. PRAEDIA non uenisse ꝛ scripserat Attico, ut praedia uenirent pro sustentanda Terentia. id quando, inquit, factum non est, sustentetur per te. DE FRUSINATI ꝛ fundum Frusinatem Cicero uendiderat, hac lege, ut redimere posset. de ea redemptione, quaesierat Atticus, quid cogitaret, utrum eam aliquando fieri uellet, an prorsus abiecisset. responderet, redemptionem se probare, quoniam ille fundus sibi futurus esset opportunus. redemptio tamen hoc tempore facta non est, ut patet ex epistola XI V. NEC quae accidunt, nec quae aguntur, ꝛ accidunt casu; aguntur ex consilio & uoluntate Pompeij. VTINAM &c. ꝛ fortasse enim ad Pompeium profectus non essem, si tecum de ea profectioe coram potius, quam per epistolas, egissem. & hoc dicit, quia, profectum esse ad Pompeium, paenitebat; quippe qui nec, quae accidebant, nec quae agebantur, probaret. Hic tua, ut possum, tueor apud hos ꝛ tua, quae ad te pertinent, apud hos, inquit, te defendo. omnibus enim, qui Romae remanserant, in fens erant Pompeiani, itaque dicit epistola, quae post sequentem legitur: Numquam de te ipso, nisi crudelissime, cogitatum est. & infra eadem epistola: De Fannio consoler te ꝛ perniciofa loquebatur de mansione tua. eodemq. loco: Omnes, qui in Italia remanserant, hostium numero habebantur. & ad Varronem, epistola 6. lib. 9. fam. Ego uictoriam etiam illorum timebam, ad quos teneramus. crudeliter enim otiosis minabantur. & Caesar libro I. de bello ciu. Pompeius discedens ab urbe in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romae remansissent, & qui in castris Caesaris fuissent. Dicit autem Cicero: Ut possum: ut ostendat difficultatem defendendae nam Atticum purgare, quod Romae remansisset, aegre apud iratos poterat. CETERA Celer ꝛ subintellige, narrabit. nam Isidoro, quem nunc cum litteris remittebat, committenda non uidebantur. Celerem autem fortasse non ita multo post ad Atticum missurus erat. Malim tamen legere, Cetera celo, ut est in antiquo Speciani libro. quem si sequamur, sensus erit hic: Nos te, ut possumus, apud Pompeianos defendimus: cetera celamus; quae scilicet ab illis in te & dicuntur, & cogitantur. Quid sit gestum noui, ꝛ haec, & quae sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superiora: ut sit, cum epistolae propter tabelliariorum commorationem per plures dies in manibus habentur, cum interea multa in eas, aliud alio tempore, conijcere solemus. Prior epistolae pars non optimam spem significat, unde illud, Si modo futuri sumus: & illud, Nec quae accidunt, nec quae aguntur, ullo modo probantur. addo etiam illud, Nihil poterat agri, quod mihi & meis rebus esset aptum, haec, inquam, Ciceronem ostendunt Pompeianorum rebus paene diffidere: at uero ea, quae sequuntur, non item, quid enim illud? Reliqua non uidentur esse difficiliora. aperte declarat, in reliquo bello conficiendo negotij non multum fore. cur autem hoc? quia scilicet factum erat proelium illud ad Dyrrhachium, quo Pompeij fortuna superior fuit. quo ex proelio tantum fiduciae ac spiritus Pompeianis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed uicisse iam sibi uiderentur. Caesar de bello ciuili libro I I I. CVRES, ut scribis, ꝛ ut explicentur res domesticae. SOLICITUDO, ꝛ unde haec sollicitudo, prospera Pompeij fortuna? dixit enim, Reliqua non uidentur esse difficiliora. Solitudinis, ut opinor, causa haec erat, quod omnino, siue Caesar, siue Pompeius uicisset, de libertate actum esse putabat: quod cum multis locis significat, tum epistola 6. lib. IX. ad Varronem, dicens; Ego uictoriam etiam illorum timebam, ad quos ueneramus, & ad Marcellum, epistola, cuius initium est, Etsi perpauis. ESTO, in spe magna ꝛ quippe qui ex Dyrrhachina pugna confidere suis militibus coepisset. fam. epistola 3. libri 7. INFIRMITAS corporis ꝛ cuius causa Pharfalico proelio non interfuit. Plutarchus in uita. HACTENUS fuit, quod caute a me scribi posset. ꝛ ultra enim in scribendo progredi si uelim, minus caute faciam. scripsi, quatenus licuit; ultra caute non potui. Iis litteris, quas Pollex tulit ꝛ opinor, proximis superioribus: in quibus de pecunia, quae Terentiae pro dote numeranda esset, mentio fit, illud miror, quod in hoc diuortio nullam umquam primae pensionis mentionem inueniam: ut adducar, mundum & ornatum muliebrem pro pensione prima fuisse; unde Cicero, siue Terentiam dimitteret, siue retineret, neque damni quidquam, neque lucri posset accipere. itaque in epistola ultima huius libri dicit se caecum fuisse in pensione secunda, non in prima. ex quo apparet, in epistola antecedenti secundam pensionem significari. POLLEX: ꝛ seruus Ciceronis a pedibus. epistola 5. lib. 8. & in epistola ad Terentiam, Pollicem fac extrudas, idest cum litteris remittas. nam cum ijs eum miserat, quas hic intelligit.

Cicero S. D. Attico. 5.

QVAE me causae mouerint, quam acerbae, quam graues, quam nouae, coegerintq. impetu magis quodam animi uti, quam cogitatione, non possum ad te sine maximo dolore scribere: fuerunt quidem tantae, ut id, quod uides, effecerim: itaque nec quid ad te scribam de meis rebus, nec quid a te petam, reperio. re, & summam negotij uides. equidem ex tuis litteris intellexi, & iis, quas communiter cum aliis scripsisti, & iis, quas tuo nomine, quod etiam mea sponte uidebam, te subdebilitatum nouas rationes tuendi mei quaerere. Quod scribis placere, ut propius accedam, iterq. per opida noctu faciam: non sane uideo, quemadmodum id fieri possit. neque enim ita apta habeo diuersoria, ut tota tempora diurna in his possim consumere: neque ad

li id,

id, quod quaeris, multum inter est, utrum me homines in opido uideant, an in uia, sed tamen hoc ipsum, sicut alia, considerabo quemadmodum commodissime fieri posse uideatur. ego propter incredibilem & animi, & corporis molestiam conscribere plures litteras non potui: iis tantum rescripsi, a quibus acceperam, tu uelim & Basilio, & quibus praeterea uidebitur, etiam Seruilio conscribas, ut tibi uidebitur, meo nomine. Quod tanto interual

lo nihil omnino ad uos: profecto intelligis, rem mihi deesse, de qua scribam, non uoluntatem. Quod de Vatinius quaeris: neque illius, neque cuiusquam mihi praeterea officium deest, si reperire possent, qua in re me iuuaret. Quintus auerissimo a me animo Patris fuit. eodē Cicyra filius uenit: inde profectos eos una cum ceteris arbitror. Vale.

EXPLANATIO

QVAE me caussae? hanc scripsit Brundisij, post Pompeium acie Pharsalica profligatum. Dolet autem se in Italiam uenisse, idque dum excusare aliqua ex parte uult, caussis admodum acerbis, graui-
bus, & nouis coactum se dicit, ut impetu magis animi, quam cogitatione, uteretur. doloris autem causa erat illa, quod sibi, qui cum Pompeio fuisset, esse in Italia, neque tutum satis putabat, neque honorificum, nam neque certum habebat, se esse a Caesare ueniam impetraturum; & sermones bonorum uerebatur, qui calumniari poterant, quod, cum antea semper acerrimum libertatis propugnatorum professus esset, nunc uno proelio uictus, non modo reip. fortunam experiri iterum noluisse, uerum etiam in Italiam ad uictores se contulisset: ut ex Pompeianis nemo non sapientior uideretur fuisse, qui enim bellum renouaturi in Africam fuerant, consilium secuti erant, si non tutum, saltem honorificum: qui in opido aliquo resederant, ut M. Marcellus, ij rationem si minus honorificam, tutam tamen elegerant: at uero Ciceronis factum neque tutum erat, neque honorificum quin & minus tutum, quam Africanorum, & minus honorificum quam Marcelli. Haec autem pluribus uerbis; ut appareat, cur Ciceronis dolor tantus esset, qui peccatum suum agnosceret; quod, cum posset aut saluti, aut honori consulere, neutrum fecisset. **UT id, quod uides, effecerint?** ut me in Italiam uenire coegerint. **REM, & summam negotij uides.** non reperio, inquit, nec quid ad te scribam, nec quid a te petam: rem ipse uides, & negotij summam; uides per te, cuiusmodi res sit, & quid facere te oporteat, quid autem oportebat? hoc uidelicet, agere apud Caesarem per eos, qui gratia ualere, ut Cicero in Italia tuto liceret esse. hoc erat, quod ab Attico fieri uolebat: sed prae dolore non explicat, tantum dicit, Rem, & summam negotij uides, quid a te uelim, & qua in re tuo studio, tuaque ope indigeam. **TREM** me excusandi, & purgandi apud Caesaris amicos, a quibus Cicero timendum erat: utpote qui in eorum potestate esset, contra quos antea in bello fuisset. **PLACERE** tibi, ut de rebus meis & commodius, & cauius, quam per litteras, colloquamur, unde illud epist. 13. Utinam uel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, itineribus te accessissem, nunc, nec ubi, nec, quando te sim uisurus, possum suspicari. **PER opida** ut in opidis diem consumam, noctu autem, ne uidear, iter faciam. id, inquit, difficile est, non enim ita possum noctu iter facere, ut mane semper opida reperiam, & diuersoria, & dicit, Apta diuersoria, hoc sensu: Non ita disposita sunt diuersoria, ut mihi, noctu iter facienti, semper ante lucem quasi ad praescriptum adsint, ut deinde totum diem in ijs possim consumere: ex quo necesse erit, ut opida non semper reperietes aliquam diem partem quandoque in itinere ponamus; itaque fiet, quod tu me nocturnis itineribus uelles effugere, ut ab hominibus uidear in uia, sed fac posse, ut apertissima semper habeam diuersoria, quid refert? homines, inquit, te non uidebunt in uia, at uidebunt in opidis: & omnino accidet, quod tu nolles, ut me Brundisio discessissem, & ad urbem propius accedere, Caesariani reliscant, quod sine permisso Caesaris facere tutum non est. Ac uidere licet Ciceronis angustias, & difficultatem, cui neque propius accedere Caesaris iniussu liceret, neque ex Italia discedere, Brundisij uero manere, in oculis uictorum, in summa indignitate, molestissimum esset. **AD id, quod quaeris?** ne de accessu meo ad Caesarianos deferatur, hoc est enim, cur me uelis noctu iter facere. **ET animi, & corporis molestiam?** animum. n. curae distrahebant; corpus, praeter macrorem, caeli etiam grauitas debilitabat. unde illud ep. 22. Corpore uix sustineo grauitatem huius caeli, qui mihi laborem affert in dolore. **DE Vatinius?** scire uis, quo animo Vatinius in me sit, hoc autem quaesierat Atticus, fortasse, quod uereretur, ne Vatinius, qui Ciceronem ante diligere uisus esset, Caesare uictore non eundem se praestaret, sed iniuriae potius, quam beneficii a Cicerone accepti, memor esse uellet, nam primum eum Cicero oppugnarat, deinde defenderat. **QUINTVS auerissimo animo a me Patris fuit?** quoniam in sequentibus epistolis de Quinto maledictis in Marcum fratrem legetur, eius rei causam non ab re est hoc loco pluribus explicare. Cum Cn. Pompeius, Brundisio profectus, in Graeciam nauigasset, ut classe, quanta maxima fieri posset, comparata, Italiae comitatus intercluderet, & Caesarem fame affligeret: incertus M. Cicero quid ageret, in Italia resideret, an Pompeium sequeretur; suadentibus nonnullis, & maxime Quinto fratre, ut ad Pompeium iret, paruit, & profectus est, ut ostendit epistola huius libri 9. cum dicit, Cessimus, uel potius parui. ex quibus unus qua mente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te, & ad alios misit, loquitur enim de Quinto fratre. Profligato deinde Pompeio, cum in Italiam M. Cicero rediisset, ueritus est Quintus, ne frater, quo facilius a Caesare ueniam impetraret, luac

Sua ad Pompeium perfectionis causam in ipsum conferret, itaq. turpi & scelerato mendacio confin-
xi, tibi Marcum fratrem auctorem fuisse, ut ad Pompeium proficeretur, & ubicumque fuit, maledi-
cta in fratrem conferre non desistit, idq. fecit Patris, ut patet ex epistola huius libri 10. deoq. dicit, *Quin-*
ctus auerissimum a me animo Patris fuit. Eodem § Patris, ut sit potius, ad eundem locum, quam, eod-
dem animo. *PROFECTOS* § ad Caesarem in Asiam, ut deprecarentur, apparet ex epistola sequenti
CVM ceteris § qui ad Caesarem eunt, ueniam petitori, cum Pompeio quod fuerint.

Cicero. S. D. Attico. 6.

SOLICITVM esse te cum de tuis, communi- de conseruanda, sed etiam de augenda mea dignitate cu
busq. fortunis, tu maxime de me, ac de dolore meo, rac fore meq. hortantur, ut magno animo sim, ut omnia
sentio, qui quidem dolor meus, no modo no minuitur, eu summa sperem: ea spondent, confirmant, quae qui-
socium tibi adiungit dolorem tuum, sed etiam augetur dem mihi exploratoria essent, si remansissent, sed nigero
omnino pro tua prudentia sentis, qua consolatione tenta praeterita uida, quae so, igitur ea, quae restant, & ex-
ri maxime possim, probas enim meum consilium, ne- plora cum istis: & si putabis opus esse, & si istis place-
gasq. mihi quidquam tali tempore patius faciendū fuis- bit, quo magis factum nostrum Caesar probet, quasi de-
se, addis etiam, (quod etsi mihi leuius est, quam tuū iu- suorum sententia factum, adhibeantur Trebonius, Pan-
dicium, tamen non est leue), ceteris quoque, id est qui- sa, si qui alij scribantq. ad Caesarem, me, quidquid fece-
pondus habeant, factum nostrum probari, id si ita puta- rim, de sua sententia scilicet, Tulliae meae morbus, &
rem, leuius dolerem, crede, inquit, mihi, credo equidem, imbecillitas corporis me exarimato, quam tibi intelligo
sed scio, quam cupias minus dolorem meum. Me disces magnae curae esse, quod est mihi gratissimū. De Pom-
fisse ab armis, numquam paenituit, tanta erat in illis pey exitu mihi dubiam unquam fuit, tanta enim de-
crudelitas, tanta cum barbaris gentibus conuictio, ut speratio rerum eius, omnium regum, & populorum ani-
non nominatum, sed generatim proscriptio, esset infor- mos occuparet, ut quocumq. uanisset, hoc putarem fu-
mata; ut iam omnium iudicio constitutum esset, omnium turum non passim beius casum non dolere, hominē enim
uestrum bona praedam esse illius iustioris: uestrum integrum, & castum, & grauem cognoui. De Fannio
plane dico, numquam n. de te ipso, nisi crudelissime co- conseruare te perniciose loquebatur de mansione tua. Lu-
gitatum est, quare uoluntatis me meae numquam paenite- cius uero Lentulus Hortensij dicitur sibi, & Caesaris
bit, consilij paenitet, in opido aliquo mallē resedisse, quo- hortos, & Baias desponderat, omnino haec eodem mo-
ad accerere: minus sermois subijsem, minus accepis- do ex hac parte sunt, nisi illud, erat infinitum, omnes
sem doloris: ipsum hoc me non auget. Brūdisij iacere, enim, qui in Italia remanserant, hostium numero habe-
in omnes partes est molestum, propius accedere, ut sua- bantur, sed uelim haec aliquando solutiore animo. Quin-
des, quo modo sine lictoribus, quos populus dedit, pos- ctum fratrem aucto profectum in Asiam, ut depreca-
sum? qui mihi incolumi adiri non possunt: quos ego mo- retur, de filio nihil audire, sed quare ex Diocare,
modo paullisper cum bacillis in turbam conieci ad opidum Caesaris libertos, quem ego non uidi, qui istas Alexan-
accedens, ne quis impetus militum fieret, recipio tempo- drinas litteras attulit, is dicitur uidisse an euntem, an
* re me domo, te nunc ad Oppium, quoniam ijs placeret iam in Asia? Tuas litteras, prout res pestular, expectos
modo propius accedere, ut hac de re considerarem. cre- quas uelim cures quamprimum ad me perferendas.
do fore auctores, sic enim recipiunt, Caesari non modo
Vale. I v. kal. Dec.

EXPLANATIO

DE me, ac de dolore meo § de me, propter periculum, in quo uerfor, cum in eorum manu sim, contra
quos in bello fui: de dolore meo, quia uides me dolere, & angere, quod in Italiam uenerim; cum
omnino aut in Africam ire cum ceteris Pompeianis, aut in opido aliquo a bellis uacuo residere melius
esset. *QUA consolatione* § quae scilicet in eo est, cum tu probas meum consilium, & me omnino tali te-
pore in Italiam uenire debuisse affirmas. *TANTA erat in illis crudelitas*, § quid n. crudelius esse potest,
quam generatim proscriptionem informare eorum omnium, qui in Italia remansissent? *TANTA cum*
barbaris gentibus conuictio § proscriptiois duas causas ponit; unam, quod Pompeiani sua sponte cru-
deles erant, alteram, quod barbaras gentes in exercitu habebant, quae tantum de caede & de praeda co-
gitarent, barbarae autem gentes in Pompeij castris erant, Cappadoces, Thraces, Dardani, Bessi, & qui prae-
terea initio libri III. de bello ci. a Caesare commemorantur, & ab Appiano l. II. *VOLUNTATIS me meae*
numquam paenitebit, consilij paenitet, § uoluntatis, quod ab armis discesserim; consilij, quod in Italiam uene-
rim. *OPIDO aliquo* § uel Achaiae, uel aliquius provinciae, quae esset a bello uacua. *ACCERERER* § Caes-
sare in Italiam; quod & tutius, & magis honorificum fuisset. *SERMONIS* § quem subij, quod uuo proelio
uictus, statim, desperata rep. & libertatis cura posthabita, in Italiam ad uictores, quasi ad seruitutem, spō
te uenerim. *MINVS accepissem doloris* § nam, si tuto in opido resedissem, ut puta Rhodi, aut Mitylenis,
dumtaxat reip. causa doloissem, nunc me praeterea existimationis, & salutis meae periculum sollicitat:
existimationis, quod reip. causam prodidisse, aut certe neglexisse uideri possum, qui unus omniū Pom-
peianorum

peianorum huc me contulerim; salutis, quod uictoris in manu sum. *IPSVM hoc* quod me nunc angit, erroris uidelicet mei recordatio; qui, impetu magis animi, quam cogitatione usus, in Italiam ueniendi consilium cepi. *IACERE*, & despectum, & sine dignitate, id enim hoc in loco significat, iacere. *SINE licitoribus, quos populus dedit*, & populus pro consulibus in prouincias euntibus imperium dabat, & lictores sex: ij nec imperium, nec cetera insignia prius deponerent, quam in urbem reuertissent. Cicero autem cum ad urbem pridie non, iam accessisset, hac de causa ingressus non est, quod fore sperabat, ut propter res in Cilicia prospere gestas urbem triumphans inueheretur: quod cum ei senatus frequens flagitasset, ut est in quadam epistola ad Tironem; re per Lentulum consulem dilata, ad extremum, & inopinato Caesaris aduentu, Pompeium, urbe relicta profugientem, secutus est. ex quo factum, ut imperium & lictores retinuerit. itaque nunc dicit, Propius accedere sine licitoribus qui possum? in quo ostendit, se adduci non posse ut lictores dimitteret, ijs autem uti non audebat, nisi a Caesare, aut ab ijs, qui in Italia Caesaris locum tenebant, impetrasset: quod deinde impetravit, ut apparet ex epistola sequenti. Et dicit, Quos populus dedit, ad differentiam illorum, qui tantum S. C. lege curiata, qua populus imperium dabat, neglecta, prouincias acceperant. ut infior Ciceroni, quam cuius, retinendorum licitorum causa esset, quos non a senatu solum, sed a populo etiam accepisset, Caesar l. i. de bello ciuili. *AD oppidum*? Ad Oppium, omnino uidetur emendandum. ad eum enim Cicero accedens, lictores sibi fasces praeferre, & cum pompa anteire noluit, ueritus, ne Caesariani milites ea re offensi impetum aliquem facerent: itaque eos in turbam coniecit, & promiscue cum ceteris ire uoluit. *CVM bacillis* & cum fascibus. nam ex bacillis, & uirgis constrictis fasces constabant, securi inserta, ut eius acies exstaret. *RECIPIO tempore me domo. te nunc* & corruptus locus: quem restituere, & sanare uix uidemur posse: tentemus tamen; & quod remedium in libris scriptis inuenire non licet, uideamus num id ex ingenio promere possimus. adducor igitur ut putem, Ciceronem, cum de suo ad Oppium accessu dixisset, subdidisse cum dolore, & indignatione, Recipio tempora, me domo, & hunc? ut hoc dicat. uide quam sim miser. colere me homines, & ad me domum uenire solebant. nunc uenit tempus, cum me Oppius, quasi dignitate superior, domo recipiat, exire ad me nolit, in tra parietes suo commodo expectet. O tempora, recipi me domo: ut illud, O tempora, fore cum Curtius non dubitet consulatum petere? Et hunc? tam abiectum uidelicet, tam despectum, tam sine dignitate? Quod sequitur, sic interpungo: Ad Oppium. quoniam ijs placeret, modo propius accedere; ut hac de re considerarent. Ad Oppium, inquit, redeo, de quo scribere institueram. deinde quem cum eo sermonem habuerit, continuo subiungit. Quoniam ijs placeret, modo propius accedere; ut hac de re considerarent. de licitoribus uidelicet; num ijs placeret, ut eos me cum adducere. n. dixit, inquit, ut hac de re considerarent. hoc enim uerbum subaudiendum est. Si remansissem. & in Italia. si numquam ad Pompeium in Graeciam profectus essem, ut contra Caesarem pugnarem. *QUAE restant* & praeterita sunt mittenda: quae reliqua sunt, uide. *ISTRIS* & Caesaris amicis, qui Romae sunt, explora, inquit, quo animo isti erga me sint, quo putent Caesarem esse. *FACTVM nostrum* & quod, propius ad urbem accedens, lictores mecum adduxerim, quod Caesar magis probabit, si me id fecisse de suorum sententia, cognoscat. *DE Pompeij exitu*: & quem Ptolemaeus Aegypti rex interfecerat. Caesar, Plutarchus, historici omnes. Hoc putarem futurum? putari, quocumque uenisset, cum interfectum iri; cum homines, despecta illius fortuna, gratiam eo facto se esse a Caesare inituros putarent. *FANNIO* & hic est, quem initio belli ciuili Pompeius in Siciliam eum imperio praemisit, ep. 15. l. 10. deinde apparet, cum mare transisse cum ipso Pompeio: & numeratur inter eos, qui cum imperio, erant, ep. 15. l. 8. *DE mansione tua* & crudeliter tibi minabatur, quod in Italia remansisses: itaque eius interitu consolandus non es. *LVCTIVS uero Lentulus* & ne de Lentulo quidem dolendum est: (hic autem ab eodem Ptolemaeo rege, qui Pompeium interfecerat, comprehensus, in custodia necatus erat) siquidem, ut Fannius crudelis, ita hic rapax fuisse, qui Hortensij domum, &c. *OMNINO* & omni nino & a Caesarianis huiusmodi multa sunt, indigna uidelicet, & iniusta: sed illud, quod Pompeiani designabant, erat infinitum, non. n. hunc aut illum proscribere cogitabant, sed generatim omnes, qui in Italia remansissent. *NISI* & ponitur pro Sed, ut hic, & ep. 23. & ep. 1. & 73. l. 13. fam. Vide Aldi filij; Scholia in Sallustium. *HOSTIVM numero* & Suetonius haec in Julio: Denunciante Pompeio, pro hostibus se habiturum, qui reip. defuissent; ipse medios, & neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciauit, ep. 6. l. 9. fam. & Caesar l. i. de bello ci. *SOLVITIORE animo* & nunc enim a curis districtus ualde sum, propter temeritatem mei consilij; quod in Italiam tam inconsiderate uenerim. *UT deprecaretur* & ut ueniam a Caesare peteret, quod cum Pompeio fuisset. *NIHIL audiri* & profectus sit, nec ne. *ALEXANDRINAS litteras* & Alexandriae datas: in qua Aegyptij Caesarem inclusum obsidione premebant, sic, & Epiroticae litterae, & Olbiensis epistola, dixit alibi. *AN uentem, an iam in Asia?* & figura, qua utimur, cum, ex duabus rebus utra sit, incerti sumus, ut ep. 1. l. 1. Nos hic te ad mensum Ianuarium expectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis? & eodem libro infra: Proximus Pompeio sedebam: intellexi hominem moueri, utrum Crassum inire eam gratiam, quam ipse praeter misisset, an esse tantas res nostras, quae tam libenti senatu audirentur? Huius generis etiam illud est in epistola ad Trebatium: Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidem? is me crebro ad cenam inuitat, & illud in Bruto, Paucis ante, quam mortuus est, an diebus, an mensibus?

Cicero S. D. Attico. 7.

GRATAE mihi tuae litterae sunt, quibus accurate per-
scripsisti omnia, quae ad me pertinere arbitra-
tus es. Factum igitur, ut scribis istis placere, isdem istis
licitoribus me uti, quod concessum Sextio sit, cui non pu-
to suos esse concessos, sed ab ipso datos. audio enim eum
ea S. C. improbare, quae post discessum tribunorum
facta sunt. quare poterit, si uolet sibi constare, nostros li-
ctores comprobare. quamquam quid ego de licitoribus,
qui pacis ex Italia decedere sibi iussus? nam ad
me misit Antonius exemplum Caesaris ad se litterarum,
in quibus erat: se auduisse, Catonem, & L. Metellum
in Italiam uenisse, Romae ut essent palam: id sibi non
placere; ne qui motus ex eo fierent: prohiberi. q. omnes
Italia, nisi quorum ipse causam cognouisset. de q. eo
uehementius erat scriptum. itaque Antonius petebat
a me per litteras, ut sibi ignoscerem: facere se non posse,
quin ijs litteris pareret. tum ad eum misit L. Lam-
niam, qui demonstraret, illum Dolabellae dixisse, ut
ad me scriberet, ut in Italiam quamprimum uenirem:
eius me litteris uenisse. tum ille edixit ita, ut me exci-
peret, & Laelium nominatim. quod sane nollem. pote-
rat enim, sine nomine, re ipsa excipi. o multas, & gra-
ues offensiones: quas quidem, tu das operam, ut lenias;
nec tamen nihil proficis: quin hoc ipso minus dolorem
meum, quod, ut minuas, tam ualde laboras: idq. uelim
ne grauiore quam saepissime facere. maxime autem af-
sequere quod uis, si me adduxeris, ut existimem, me bo-
norum iudicium non funditus perdidisse. quamquam
quid tu in eo potes? nihil scilicet: sed, si quid res dabit
tibi facultatis, id me maxime consolari poterit: quod
nunc quidem uideo non esse. sed si quid ex euentis: ut
hoc nunc accidit. dicebar debuisse cum Pompeio pro-
ficisci. exitus illius minuit eius officij praetermissi repre-
hensionem. sed ex omnibus nihil magis tamen desidera-
tur, quam quod in Africam non ierim. iudicio hoc sum
usus, non esse barbaris auxilijs fallacissimae gentis rep-
dendendam, praefertim contra exercitum saepe uictor-
rem. non probant fortasse. multos enim uiros bonos in
Africam uenisse audio, & scio fuisse antea. ualde hoc

loco urgeor. hic quoque opus est casu aliqui sint ex eis,
aut, si potest, omnes, qui salutem anteponant. nam si per-
seuerant, & obtinent; quid nobis futurum sit, uides. di-
ces, quid illis, si uicti erunt? honestior est plaga. Haec me
exeruciant. Sulpicij autem consilium, non scripsisti, cur
meo non anteponeres: quod etsi non tam gloriosum est,
quam Catonis, tamen & periculo uacuum est, & dolo-
re. Extremum est eorum, qui in Achaia sunt. ij tamen
ipsi se hoc melius habent, quam nos; quod & multi sunt
uno in loco, & cum in Italiam uenerint, domum statim
uenerint. Haec tu perge, ut facis, mitigare, & proba-
re quamplurimis. Quod te excusas: ego uero & tuas
causas nosco: & mea interesse puto, te istuc esse, uel ut
cum ijs, quibus oportebit, agas, quae erunt agenda de no-
bis, ut ea quae egisti, in primisq. hoc uelim animadu-
ertas. multos esse arbitror, qui ad Caesarem detulerint, de-
laturi ue sint, me aut paenitere consilij mei, aut non pro-
bare, quae fiant. quorum etsi utrumque uerum est; ta-
men ab illis dicitur animo a me alienato, non quo ita per-
spexerint, sed totum ut hoc Balbus sustineat, & Oppius,
& eorum crebris litteris illius uoluntas erga me confir-
metur, & hoc plane ut fiat, diligentiam adhibebis. Alte-
rum est, cur te nolim discedere, quod scribis Terentiam
flagitare. orem miseram. quid scribam? aut quid uelim?
breue faciam: lacrymae enim se subito profuderunt: ti-
bi permitto: tu consule. tantem uide, ne hoc temporis
Terentiae obesse aliquid possit. ignosce, obsecro te: non
possum prae fletu, & dolore diutius in hoc loco commo-
rari. tantum dicam, nihil mihi gratius esse, quam quod
eam diligis. Quod litteras, quibus putas opus esse, curas
dandas, facis commode. Quintum filium, uidi, qui Sami
uidisset, patrem Sicyone: quorum deprecatio est facilis.
utinam illi, qui prius illum uiderunt, me apud eum uel-
lim adiutum tantum, quantum ego illos uellem, si quid
possem. Quod rogas, ut in bonam partem accipiam, si
qua sint in tuis litteris, quae me mordeant: ego uero in
optimam; teq. rogo, ut aperte, quemadmodum facis, scri-
bas ad me omnia, idq. facias quam saepissime. Vale,
x i v. kal. Ian.

EXPLANATIO

ISTIS placere, & Caesarianis, qui Romae sunt. ISTIS licitoribus & consulibus L. Lentulo, & C. Mar-
cello, cum Q. Cassius, & M. Antonius tribuni pl. S. C. contra Caesaris dignitatem fieri prohiberent;
factum est per Caesaris inimicos, ut, intercedendi potestatem priuati, de sua salute cogitare die septimo
cogerentur. itaque ad Caesarem, qui Rauennae erat, profugerunt. postea S. C. quae Pompeius uult, &
ut uult, multa fiunt: iniuste: non enim recte S. C. fieri potest, cum tribunis pl. intercedenti potestas ere-
pta est. sed Pompeius tamen ijs S. C. delectus habuit, pecunias exegit, prouincias cum imperio tribuit,
ut Scipioni, Domitio, Fannio, Sextio. Caesar autem, deuicto Pompeio, ea S. C. improbauit, quae post fu-
gam tribunorum facta erant; quod, tribunicia potestate sublata, nihil legibus, nihil more maiorum, ni-
hil iure actum uideretur. quod cum ita esset; sequebatur, ut & prouincias & lictores amitterent ij, qui
haec a senatu post fugam tribunorum habuissent. quod si qui ex his erant, quibus Caesar lictores relin-
quere, & institutum tamen illud suum de S. C. improbandis retinere uellet: hac utebatur uia: lictores,
quos a senatu habuerant, adimebat, alios deinde ipse dabat. ita fiebat, ut & illi licitoribus uterentur; &
ea, quae senatus post fugam tribunorum decreuerat, ne ualerent. itaque dicit Cicero, Cui non puto suos
esse concessos, sed ab ipso datos: audio enim eum ea S. C. improbare, quae post discessum tribunorum
facta

facta sunt. Sextius enim erat ex ijs, qui lictores, idest imperium, illis S. C. habuerat. & dicit, Suos, quos habuerat antea: Ab ipso datos, a Caesare. supra autem, lisdem istis, idest, ijs, quos nunc habeo. non enim ex ijs erat Cicero, qui lictores habuerat post fugam tribunorum: sed eos ante illud tempus habuerat, cum Ciliciam prouinciam non a senatu solum, sed etiam a populo accepi. quod Sextio non contigerat, qui praetoriam prouinciam sortitus erat: cum de illius imperio ad populum latum non esset. Caesar lib. 1. de bello ciu. *Quod concessum Sextio sit?* ut licitoribus ipse quoque uti posset. *Si uolet sibi constare?* hoc dicit, Caesar si tantummodo S. C. uolet improbare, quae post discessum tribunorum facta sunt, poterit nostros lictores comprobare, idest eos, quos adhuc habui. non enim ego illis S. C. imperium accepi. quod si nostros lictores minus probare uoluerit, plane constare sibi non uidebitur. non enim praestabit id, quod dixit, se uelle ea S. C. quae post fugam tribunorum facta sunt, ut iniqua referere: sed hac ratione profus omnia S. C. tollet. L. METELLVM & hic est, qui superiore anno, tribunus pl. cum esset, Caesarem, ne pecuniam ex aerario promeret, impedire conatus est. cui Caesar mortem minitatus, & aerarij foribus, ut Appianus inquit, effractus, pecuniam abstulit, unde illud ep. 7. l. 10. Durum rerum simulationem amisit, mansuetudinis in Metello, diuitiarum in aerario. *At uim?* Caesarem. *EDIXIT?* edixit Antonius, ne cui ex ijs, qui cum Pompeio contra Caesarem in bello fuissent, liceret esse in Italia, excepto Cicerone, & Laelio. *Re ipsa excipi?* quo modo poterat sine nomine re ipsa fieri Ciceronis exceptio? si sic uidelicet Antonius edixisset: Ex omnibus Pompeianis ne cui liceat esse in Italia, nisi quorum causam Caesar cognouerit, aut de quibus Caesar scripserit. quo edicto Cicero non nominatus, re ipsa tamen exceptus esset: siquidem Dolabella litteris, Caesaris iussu conuictis, in Italiam uenerat. Cur autem nominari Cicero noluisse: duobus de causis: primum, quod grauius offendi Pompeianos intelligebat tam aperta significatione: eos porro iratos habere nolebat, si forte, ut incerti sunt bellorum exitus, uictores domum reuerterentur: deinde, quod exceptio illa, nominatim facta, quasi legem & necessitatem ijs, qui excipiebantur, imponebat, ne discedere ex Italia possent, ne scilicet beneficium Caesaris aspernari, aut etiam renuntiare uiderentur. unde illud in epistola, quae proximam subsequitur, Exceptiōibus edictorum retineor: quae si non essent sedulitate effectas, & beneuolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas, nunc ne id quidem licet. *Asseuerare quod uis?* ut minuatur dolor meus: quem inde capio, quod & in Italiam uenerim, & in edicto nominatus exceptus sum. *Me bonorum iudicium non funditus perdidisse?* bonos de me non male iudicare, neque consilium meum, quod in Italiam unus ex omnibus Pompeianis uenerim, profus improbare. *Quid tu in eo potes?* quid a te fieri potest, ut boni meum consilium non reprehendant? nihil scilicet, causam enim mei facti probabilem, quam afferas, nullam habes. uerum tamen, si qua mei defendendi facultas existeret, id me maxime consolari poterit. *Et dicit, Id poterit, ut hoc significet, aliud fere nihil esse quod possit.* *Quod nunc quidem uideo non esse?* uideo nullam tibi nunc mere temeritatis excusandae facultatem dari. *Si quid ex euentis?* nunc nihil uideo esse, quo meum factum tueri possis: sed, si quid ex euentis nascetur, obserua, & occasionem ne praetermitte: ut, si Caesar bellum ex sententia confecerit, ex illo euentu mei defendendi facultatem arripas, quam nunc quidem non habes. adhuc enim Pompeiani sunt in armis, & dum erunt, ego turpis uidear necesse est, qui stantem adhuc reip. causam deseruerim, quod si uincuntur, meum consilium ex euentis probabitur, dicar enim hunc exitum prouidisse, sapienterque fecisse, quod in Italiam, idest in Caesaris potestatem, uenerim, contra quem sine spe uincendi pugnare, aut frustra terguersari, stultum esset. *Ut hoc nunc accidit?* hoc scilicet, quod sequitur: in quo ex euentu defendimur. nam, exitu Pompeij perspecto, minus reprehendor, quod cum eo post Pharsalicam pugnam fugiente profectus non sum, in quo sapiens fuisse nunc uideo: quasi de illo, quocumque uenisset, id, quod accidit, fore coniecterim, exitu uero nondum cognito, dicebat debuisse cum eo proficisci. *Ex omnibus nihil tamen magis desideratur, quam quod in Africa non uerim.* Multa, inquit, in me desiderantur, uel quod cum Pompeio profectus non sum, uel quod in Africam ad renouandum bellum non ierim, uel quod in opido aliquo non residerim: sed ex omnibus tamen nihil magis desideratur, quam quod in Africam non ierim. *Non probant?* qui Romae sunt, qui scilicet pondus habent, & a quibus meum factum probari uellem. fortasse autem non probant, quod multi boni uiri in Africam profecti sunt: ut tentare quiduis potius maluisse uideantur, quam de rep. desperare: cum ego contra fecerim. *Et scio fuisse antea?* in Africa: quorum omnium iudicium hoc fuit, uel barbaris auxilijs rep. esse defendendam. *Hoc loco ualde urgeor?* non uideo, qui defendi possim. *Hic quoque opus est &c.* oportet, inquit, (nam alioqui defendi non possem) ex ijs, qui in Africam iuerunt, ut bellum renouarent, casu aliqui sint, uel, si fieri potest, omnes, qui suae saluti consulere uelint, & consilium illud, quod ceperant, omittentes, abiectis armis Caesari se credant, hoc si ita sit, meum factum minus condemnabitur: siquidem & alios saltem omnibus rebus anteposuisse constabit, sin autem illi in bello perseverant, & si uincunt: uides, quid nobis futurum sit, quasi dicat: non solum in turpitudine erimus, sed etiam in periculo: turpitudine, quod publicam causam deserui, maiore salutis, quam dignitatis, ratione habita: periculo, quod eos hoc facto mihi fore iratos intelligo, unde illud in epistola quadam ad Varronem: Si essent nostri potius, ualde intemperantes fuissent, erant enim nobis perirati: quasi quidquam de nostra salute censuissemus. *Dicit autem, Hic quoque, propterea quod in Graecia multi fuerant, qui post deuictum acie Pharsalica Pompeium saluti consulere, & uictori aut se committerent, aut bellum certe rursus inferre nollent.* SYLPICI *consilium?* quod se Ciceronis consilio

filio non antepone, consolans uidelicet Atticus scripserat. CATONIS } qui bellum in Africa contra Caesarem renouat. PERICULO uacuum est, & dolore } itaque nostro consilio uidetur esse anteponden- dum: cum nostrum neque periculo uacuum sit, neque dolore: quod & in uictoris manu sumus, & hoc ipsum mali non casu nobis, sed culpa & temeritate nostra contractum est: cum quiduis facere praestiterit, quam in Italiam uenire. EXTREMUM est } commemorat, quae contra se faciunt, & quae obijci a bonis uiris possent, primum, inquit, reprehendi possum, quod in Africam non ierim: deinde, non idē fecerim, quod Sulpicius, qui sedem tutam & a bello uacua elegit: postremo, quod non in Achaia remanserim, hoc extremum est: sed hoc tamen facere melius fuit, quam in Italiam uenire. DOMVM statim uenerim. } quod nobis non contigit, nam & in Italiam uenimus, neque domum tamen statim uenimus, qui Brundisij adhuc misere iacemus; illi autem uel in Achaia residebunt, uel, impetrata a Caesare uenia, domum recta se conferent. Brundisij maxime lictorum cura Ciceronem tenebat: quos neque dimittere uolebat, ut proxima superiore epistola ostendit; & secum adducere, propter militum licentiam periculosum uidebat esse. HAEC tu } haec, quae contra me sunt, uelim, ut coepisti, in sermonibus ita extenuas, ac minuas, ut quamplurimos in tuam sententiam adducas. QVOD te excusas } cur ad me ipse non uenias. VEL ut cum ijs } hic particula, Vel, non iteratur, sed refertur ad illud, quod infra dicit, Alterum est, cur te nolim discedere, nam duae causae erant, cur Ciceronis interesset Atticum Romae esse; uel ut cum Caesarianis ageret, quae agenda erant; uel, ipso absente, ne Terentia egeret, quam Atticus scripserat in sumptum flagitare. CONSILII mei } quod in Italiam uenerim. QVOD scribis Terentiam flagitare: } haec est altera causa, cur te nolim discedere, quia scribis Terentiam assidue pecuniam petere: quod eam esse in angustijs declarat: quae, si tu abesses, omnium rerum inopia premeretur. In hoc loco } prae dolo, inquit, in huius rei commemoratione diutius uersari non possum. QVOD eam diligis } quod ea tibi curae est, quod ei deesse nihil pateris. VT INAM, illi, } hoc dicit, quia fore suspicatur, ut ab ijs apud Caesarem oppugnetur, patet ex epistola sequenti.

Cicero S. D. Attico. 8.

QVANTIS curis afficiat, etsi profecto uides, tamē cognosces ex Lepa, & Trebatio. maximas poenas pendo temeritatis meae; quam tu prudentiam mihi uideri uis; neque te deterreo, quo minus id disputes, scribasq. ad me quam saepissime. non nihil enim me leuant tuae litterae hoc tempore. Per eos, qui nostra causa uolunt, ualentq. apud illum, diligentissime contēdas opus est, per Balbum, & Oppium maxime, ut de me scribant quam diligentissime. oppugnamur enim, ut audio, & a praesentibus quibusdam, & per litteras ijs ita occurrendum, ut rei magnitudo postulat. Furnius est illic, mihi inimicissimus. Quinctus misit filium non solum sui deprecatorem, sed etiam accusatorem mei. dicitat, se a me apud Caesarem oppugnari. quod refellit Caesar ipse, omnesq. eius amici. neque uero desistit, ubique est, omnia in me maledicta conferre. nihil mihi unquam tam incredibile accidit, nihil in his malis tam acerbum. qui ex ipso audissent, cum Sicyone palam multis audientibus loqueretur, nefaria quaedam ad me pertulerunt. nosti genus, etiam expertus es fortasse: in me id est omne conuersum. sed augeo commemorando dolorem, & facio etiam tibi. quare ad illud redeo, cura, ut huius rei causa, dedita opera, mittat aliquem Balbus. ad quos uidebitur, uelim cures litteras meo nomine. Vale. xv. kal. Ian.

EXPLANATIO

TEMERITATIS meae, } quod in Italiam temere & inconsiderate uenerim. QVAM tu prudentiam mihi uideri uis } conaris enim mihi persuadere, non me temere fecisse, quod in Italiam uenerim, sed prudenter: negasq. mihi quidquam tali tempore potius faciendum fuisse. FURNIUS } malim, Furnius: ut de Caleno, Ciceronis iam inde a Clodianis temporibus inimico, intelligatur, ep. 15. & 16. nam Furnius non modo non inimicissimus, sed etiam & ante ciuile bellum, & post amicissimus. ep. 18. l. 5. & 18. l. 9. & fam. l. 10. ep. 25. NOSTI genus, } nosti quam maledicus, quam iracundus sit, non ignoras, quantum in eo soleat esse acerbatis & iracundiae uirus. id in me nunc uniuersum euomitur.

Cicero S. D. Attico. 9.

EGO uero & incaute, ut scribis, & celerius, quam oportuit, feci: nec in ulla sum spe, quippe qui exceptionibus edictorum retinear. quae si non essent sedulitate effectae, beneuolentia tua, liceret mihi abire in solitudines aliquas. nunc ne id quidem licet. quid autem me inuat, quod ante initium tribunatum ueni, si ipsum, quod ueni, nihil inuat? iam, quid sperem ab eo, qui mihi amicus numquam fuit; cum iam lege etiam sim confectus, & oppressus? quotidie Balbi ad me litterae languidiores, multaeq. multorum ad illum, fortasse contra me. meo uitio pereo. nihil mihi mali causa attulit: omnia culpa contracta sunt. ego enim, cum genus belli uiderem,

uiderem, imparata, & infirma omnia contra paratissimos ueram, (quid facerem?) ceperamq. consilium non tam forte, quam mihi praeter ceteros concedendum. cessimus, uel potius parui. ex quibus unus quamente fuerit, is, quem tu mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te, & ad alios misit. quas ego nunquam aperuissem, nisi res acta sic esset. delatus est ad me fasciculus: solui, si quid esset ad me litterarum: nihil erat. epistola Vatino, & Ligurio altera. iussi ad eos deferri. illi ad me statim ardentis dolore uenerunt, scelus hominis clamantes. epistolas mihi legerunt plenas omnium in me probrorum. hic Ligurius iurare se enim scire, summo illum in odio fuisse Caesari: illum tamen non modo fouisse, sed & tantam pecuniam illi dedisse honoris mei causa. hoc ego dolore accepto, uolui scire, quid scripisset ad ceteros. ipsi enim illi putauit perniciosum fore, si eius hoc tantum scelus percubisset. cogno-

ui. eiusdem generis litteras ad te misi. quas si putabis illi ipsi utile esse reddi, reddes: nil me laedet. nam quod resignatae sunt: habet, opinor, eius signum Pomponia, hac ille acerbitate initio navigationis cum usus esset, tanto me dolore affecit, ut postea iacuerim. neq. nunc tam pro se, quam contra me, laborare dicitur. ita omnibus rebus urgeor, quas sustinere uix possum, uel plane nullo modo possum. quibus in miseris una est pro omnibus, quod istam miseram, patrimonio, fortuna omni spoliata, relinquam. quare te, ut polliceris, uidere plane uelim. alium enim, cui illam commendem, habeo neminem: quoniam patri quoque eadem intellexi esse parata, quae mihi. sed si me non offendes, satis tamen habeto commendatam, patri uel in ea, quantum poteris, mitigato. Haec ad te die natali meo scripsi: quo uinam susceptus non essem, aut ne quid ex eadem matre postea natum esset. plura scribere fletu prohibeor.

EXPLANATIO

NEc in ulla sum spe &c. } nam, si sperarem me hinc posse discedere, quo & incaute, & celerius, quam oportuit, ueni; leuior esset dolor: sed eam spem eripiunt mihi exceptiones edictorum. **Lege** quae scriptimus in epistolam. quae ante proximam superiorem legitur. **ANTE initium tribunatus** } antequam tribunatum noui tribuni pl. inirent, ueni autem ante in Italiam, uerius ne illi me suis rogationibus impedirent. Tribuni pl. ante alios magistratus & designabantur, & magistratum inibant. **Lege** } fortasse a tribuno pl. Dolabella perlata; in qua scriptum esset idem, quod in Antonij edicto. **OPPRESSVS.** } quia me lex in Italia retinet, cum excipiebat me nominatim, sicut edictum, uide epist. 7. **MVLTAEQ.** } multorum ad illum } ad Caesarem, multos autem ad Caesarem scribere sciebat: propterea quod tabellarij, qui Roma ad Caesarem in Africam litteras ferebant, Brundisij, ubi ipse erat, necessario conscendebant. **CAVSSA attulit** } Vbaldini liber antiquus, **CAVS** attulit. emendo, **CASUS** attulit. nam quemadmodum, casus & consilium, casus & iudicium; sic, casus & culpa, casus & error, antitheta sunt, unde illud epistola huius libri ultima: Nihil est enim contractum casu: sed omnia fecimus ijs erroribus & animi, & corporis, quibus &c. **GENVS belli** } formidabile, &, quocumque uictoria inclinasset, exitiosum. unde illud ad Marcellum: Omnia sunt misera in bellis ciuilibus: sed miserius nihil, quam ipsa uictoria: quae, etiam si ad meliores uenit, tamen eos ipsos ferocius, impotentioresq. reddit. Plane enim uiderat, quid Caesar & Pompeius spectarent, quae intent eos conflati belli causa, cum uidelicet utrique non libertas, sed dominatio proposita esset, ex quo illud ep. 1. lib. 8. Neutri **exponis** est ille, ut nos beati sumus: uterque regnare uult. **IUERAM** } nemo adhuc, quod quidem sciam, hoc uerbum mendosum esse suspicatus est; ne ipse quidem, cum hos meos commentarios primo edidi, nunc autem, cum ad hunc locum legendo peruenissem; (ualde enim harum epistolarum lectio me delectat) nec satis ipsa sibi congruere sententia uideretur; coepi diligentius totam rem examinare, itaq. nidi, non modo, Iueram, sincerum esse non posse, sed plane, quod aliud significet, alterum uerbum considerari. nam, si genere belli commouetur Cicero, quod inter ciues gerebatur; si imparata omnia & infirma apud Pompeium, contra apud Caesarem paratissima esse intelligit; certe inde fit, non ut ex Italia discedat, sed potius, ut in ea remaneat. idq. aperte confirmat illud, Ceperamq. consilium non tam forte, quam mihi praeter ceteros concedendum. non enim, si de irone ad Pompeium loqueretur, consilium illud minus forte appellaret. itaque, de mansione ut intelligat, necesse est. quod etiam non tam forte consilium fuit, ipsi tamen, qui paci semper studuerat, fuit praeter ceteros concedendum. deinde (& hoc est, in quo suam culpam agnoscit) optimatum sermonibus, quos audiebat, consilijsq. maxime **Quincti** fratris de sua sententia detrusus, iuit ad Pompeium. &, ut mutationem sententiae suae significet, primum ait, Ceperam, ut de priore sententia: deinde, de posteriore, subiungit, Cessimus. patet de mendo. uideamus correctionem. Bessarionis liber, pro Iueram, habet Sciueram: quod interpretari licet, caute egeram, consulueram probe rebus meis, intellexeram, quod esset e re mea. deinde quale illud esset, exponit his uerbis: Ceperamq. consilium &c. manendi consilium non dubie significans, quod a se mutatum, & aliorum sermonibus, quibus ait se uictum, cessisse, & si a tris suorumq. consilijs, quibus adscribit se paruissse, miserimis modis in hac epistola conqueritur. Sane uellem exemplum aliquod liceret afferre, quo, ueteres Sciendi uerbo, ea, qua diximus, sententia, eodemq. modo, nulla scilicet adiuncta dictione, usos esse, constaret. cuius generis etsi nunc in mentem nihil uenit; quin tamen eiusmodi aliquid, quale quaerimus, inueniri possit, non despero. Quod si quis de mendo quidem nobiscum sentit, de quo uix arbitror dubitari posse, correctionem autem, ob inusitatum uerbi sententiam, minus probat: is a nobis accipiat, quod damus; de reliquo libros ipse ueteres consulat; aut ex ingenio suo

suo probabilis aliquid promat. Haec cum scripsissem, rursus idem cogitanti venit in mentem, Quieram, pro Iueram, nec a sententia dissentire, nec a uetere scriptura longius abesse. itaque uelim a studio sis hoc quoque considerari. *MIHI praeter ceteros concedendum* & nam alios tantum reip. causa, me ueto etiam beneficia, quae a Pompeio acceperam, mouebant. *CESSIMVS, uel potius parui* & cessimus, sermonibus hominum: parui, ijs, qui suadebant, ut ad Pompeium irem. ep. 12. *Is, quem tu mihi commendas* & frater meus. commendauerat autem Atticus, ut eum Cicero apud Caesarem deprecantem litteris adiuuaret, unde illud ep. 22. Scribis illum per me Quinto fore placatorem. Quo modo autem Cicero, qui & ipse fortuna minus prospera utebatur, adiuuare eum apud Caesarem posset, & quo modo etiam adiuuerit, apparet ex epistola, quae post duas sequentes legitur, in qua commendaticiae sunt, pro Quinto fratre, Ciceronis ad Caesarem litterae. *FASCIVLVVS* & litterarum, quas e Graecia Q. Cicero partim Brundisium ad Vatinium, & Ligurium, partim Romam ad alios mittebat. *NON modo fouisse, sed & tantam pecuniam illi dedisse* & cum scilicet eo legato in Gallia usus est. est autem, Fouisse, locum illi inter legatos concessisse, non exclusisse illum, non dimisisse. *HONORIS mei causa* & ut cognoscerem, quanti me faceret. non enim in eo Caesar Quinti Ciceronis, sed Marci rationem habuit. *EVSDem generis* & plenas omnium in me probrorum. *ILLI ipsi* & cui ego putavi perniciosum fore. *VTILE* & apud Caesarem, aut etiam apud alios. *REDDI* & ijs, ad quos mittuntur. *HAC ille acerbitate* & nam in me acerbus, & contumeliosus fuit iam inde ab illo tempore, cum ad Pompeium in Graeciam nauigare coepimus. *ISTAM miseram*, & Tulliolam. *PATRIMONIO. &c.* & uidetur dubitare de proscriptione: quod apertius ostendit paullo infra, cum dicit, Matri quoque eadem intellexi esse parata, quae mihi. *Si me non offendet*, & si acciderit, ut, cum ad me uenies, me non offendas. Et hoc dicit, ut significet, sibi praedesperatione consilium in alias terras migrandi paene iam esse captum. *TAMEN habeto* & putato, satis eam tibi esse his litteris a me commendatam. *DIE natali meo* & III. non. Ianuarij. apparet ex epistola 5. libri 7. & 41. lib. 13.

Cicero S. D. Attico. 10.

AD meas incredibiles aegritudines aliquid noui accedit ex ijs, quae de Q. fratre ad me afferuntur. P. Terentius, meus necessarius, operas in portu, & scriptura Asiae pro magistro dedit. is Quintum filium Ephesti uidit VI. id. Dec. eumq. studiose propter amicitiam nostram inuitauit. cumq. ex eo de me cunctaretur, eum sibi ita dixisse narrabat, se mihi esse inimicissimum; uolumentq. sibi ostendisse orationis, quam apud Caesarem contra me esset habiturus: multaq. a se dicta contra eius amentiam: multa postea Patris consimili scelere secum Quintum patrem locutum: cuius furorem ex ijs epistolis, quas ad te misi, perspicere potuisti. haec tibi dolori esse certo scio: me quidem excruciant, & eo magis, quod mihi cum illis ne querendi qui-

dem locum futurum puto. De Africanis rebus longe alia nobis, ac tu scripseras, nunciantur. nihil enim firmius esse dicunt, nihil paratius. accedit Hispania, & alienata Gallia, legionum nec uis eadem, nec uoluntas, urbanae res perditae. quid est, ubi acquiescam? nisi quae diu tuas litteras lego. quae essent profecto crebriores, si quid haberes, quo putares meam molestiam minui posse. sed tamen te rogo, ne intermittas scribere ad me, quidquid erit; eosque, qui mihi tam crudeliter inimici sunt, si odisse non potes, accuses tamen; non ut aliquid proficias, sed ut tibi me carum esse sentiant. Plura ad te scribam, si mihi ad eas litteras, quas proxime ad te dedi, rescripseris. Vale. XII. kal. Febr.

EXPLANATIO

OPERAS in portu, & scriptura Asiae pro magistro dedit & portorio, & scripturae Asiae magistri loco praefuit. de hoc ipso in epistola ad Silium his uerbis: Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas, summaq. consuetudo est. Scriptura autem quid sit, Pedianus in diuinatione declarat his uerbis: Qui exigenda a socijs, suo periculo exigunt, & reip. repraesentant, eorum ratio Scriptura dicitur. In illa autem societate & magistri, & pro magistris erant. *CVM illis ne querendi quidem locum futurum puto.* & si quidem alter frater est, alter fratris filius. cum alijs si res esset, ulcisceret: cum his ne queri quidem mihi arbitror licere. *Ac tu scripseras* & Atticus ad consolandum Ciceronem, quae poterat, omnia colligebat. itaque scripserat, eos, qui contra Caesarem in Africa bellum renouarent, in firmos plane esse, & imparatos. hoc autem ad minuendam Ciceronis molestiam uel maxime pertinebat, qui ex euentis aliquid exsistere cupiebat, unde consilium suum non temere captum uideretur. in epistola, quae ante duas superiores legitur, locus est huiusmodi: Si quid ex euentis. in eum locum quae scripsimus, lege. apertior huius erit intelligentia. *HISPANIA* & in qua Cn. Pompeius Magni filius bellum aduersus Caesarem instaurabat. Appianus libro II. Dio libro 42. & 43. *QUID est, ubi acquiescam?* & nam, si haec, ut nunciantur, ita sunt, ualde ego reprehendar, qui in Italiam ad Caesarem uenerim, causa publica, quam alij & fortiter, & cum optima spe tuerentur, destituta. *Eosq.* & Quintum fratrem, & Quintum eius filium. *ACCUSES* & litteris ad eos scriptis reprehendas.

kk Cicero

Cicero S. D. Attico.

II.

CONSPECTVS iam cruciatu maximorum dolorū, ne si sit quidem, quod ad te debeam scribere, facile id exsequi possem, hoc minus, quod res nulla est, quae scribenda sit; cum praesertim ne spes quidem ulla ostendatur, fore melius, ita iam ne tuas quidem litteras exspecto, quam quā semper aliquid afferunt, quod uelim, quare tu quidem scribito, cum erit, cui des, ego tuis proximis, quas tamen iam pridem accepi, nihil habeo, quod rescribam. longo enim intervallo uideo immutata esse omnia, illa esse firma, quae debeant, nos stultitiae nostrae grauissimas poenas pendere. P. Sallustio curanda sunt

HS xxx, quae accepi a Cn. Sallustio. uelim uideas, ut sine mora curentur, de eare scripsi ad Terentiam, atque hoc ipsum iam prope consumptum est, quare id quoque uelim, cum illa uideas, ut sit, qui utamur. hic fortasse poterō sumere, si sciam istuc paratum fore; sed prius, quam id scirem, nihil sum ausus sumere. Qui sit omnium rerum status noster, uides, nihil est mali, quod non & sustineam, & exspectem, quarum rerum eo grauior est dolor, quo culpa maior, ille in Achaia non cessat de nobis detrahere, nihil uidelicet tuae litterae profecerunt. Vale. VIII. id. Martij.

EXPLANATIO

IMMUTATA esse omnia, & nam, cum Cicero ab Attico litteras acceperit, imbecillae Pompeianorum uires esse uidebantur; cum autem hanc epistolam scripsit, firmissimae, itaque infert, illa esse firma, quae debeant, nos stultitiae nostrae grauissimas poenas pendere, & hoc postremum adiungit, quia stultus sibi fuisse uidebatur, quod tam celeriter in Italiam uenisset, belli Africani exitu non expectato. **CVRANDA** & Romae. **ACCEPI** & hic, erant autem argentarij P. & Cn. Sallustij, alter Romae, alter Brundisij. **QVI utamur** & uide epist. 23. lib. 13. **QVO culpa maior.** & nam hoc ipsum mali, quod & sustineo, & exspecto, totum est mea culpa contractum, qui tam stulte & inconsiderate in Italiam ueni. **ILLE** & Quintus frater.

Cicero S. D. Attico.

12.

CEPHALIO mihi a te litteras reddidit ad IIX. id. Mart. uespere. eo autem die mane tabellarios miseram, quibus ad te dederam litteras, tuis tamen lectis litteris, putavi aliquid rescribendum esse, maxime, quod ostendat te pendere animi, quamnam rationem sibi Caesaris affecturus profectiois meae tum, cum ex Italia discesserim. nihil opus est mihi noua ratione. saepe enim ad eum scripsi, multisq. mandavi, non potuisse, cum cupissem, sermones hominum suscipere. multaq. in eam sententiam, nihil enim erat, quod minus eum uellem existimare, quam me tanta de re non meo consilio usum esse. postea, cum mihi litterae a Balbo Cornelio minore misae essent, illum existimare, Quintum fratrem lituum meae profectiois fuisse, (ita enim scripsit) qui nō dum cognosset quae de pace Quintus scripsisset ad multos: etsi multa praesens in praesentem acerbe dixerat, & fecerat, tamen L. in eo bis uerbis ad Caesarem scripsi. De Quinto fratre meo non minus laboro, quam de me ipso: sed eum tibi commendare hoc meo tempore non audeo, illud dumtaxat tamen audeo petere abs te, quod te oro, ne quid existimes ab illo factum esse, quod minus mea in te officia constarent, minus uē te diligerē, potiusq. illum semper auctorem nostrae coniunctionis fuisse, meiq. iuueris comitem, non ducem. quare cete-

ris in rebus tantum ei tribues, quantum humanitas tua, amicitiaq. uestra postulat: ego ei ne quid apud te obsum, id te uehementer etiam atque etiam rogo. Quare, si quis cōgressus fuerit mihi cum Caesare, (etsi non dubito, quin is lenis in illum futurus sit, idq. iam declarauerit) ego tamen is ero, qui semper fui, sed ut uidea, multo magis est nobis laborandum de Africa. quā quidem tu scribis confirmari quotidie magis ad condicionis spem, quam uictoriae, quod utinam ita esset: sed longe aliter esse intelligo, teq. ipsum ita existimare arbitror, aliter autem scribere non fallendi, sed confirmandi mei causa, praesertim cum adiungatur ad Africā etiam Hispania. Quod me admones, ut scribam ad Antonium, & ad ceteros: si quid uidebitur tibi opus esse, uelim facias id, quod saepe fecisti, nihil enim uenit mihi in mentem, quod scribendum putem. Quod me audis fractiorem esse animo: quid putas, cum uideas accessisse ad superiores aegritudines praeclearas generi actiones? Tu tamen uelim ne intermittas, quoad eius facere poteris, scribere ad me, etiam si rem, de qua scribas, non habebis, semper enim afferūt aliquid mihi litterae tuae. Galeonis hereditatem oroni. puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla misa est. Vale. VIII. id. Mart.

EXPLANATIO

NIHL enim erat & sensum patere puto ijs, qui uident in litteris acutius, ut tamen etiam hebetiores intelligant, euolutam sententiam manifestis uerbis exponā. minime, inquit, uolebam Caesare existimare, me tanta de re alio consilio usum esse, uolebā igitur cum existimare, nō me suauis frateris mei, sed mea sponte meoq. consilio iuisse ad Pompeium. **POSTEA, cum** & antea, **POSTEA** quam: emendauit locum

cum ex coniectura, & hic, & epistola ultima lib. 2. fam. & alibi. Mendi origo fuit, quod scribebant ueteres, Quom, pro cum. TAMEN *L in eo* ? Tamen de eo, clarius esset. ut nunc legitur, non puto locum care-re mendo. opem expectabimus ueterum librorum. *Is lenis in illum* ? Caesar in Quinctum. *Is ero, qui imper sui* ? faciam, quod semper feci, ut fratrem meum, quantum in me sit, adiuuem. *Quod utinam ita esset.* ? cupit, Pompeianos Caesari se dedere, ut ipse sapiens fuisse uideatur, qui statim post Pharsalicam pugnam ad Caesarem uenerit, quasi, quid futurum esset, coniectura prospiceret. ETIAM *Hispania* ? cum etiam in Hispania contra Caesarem bellum pareretur. *VELIM facias id, quod saepe fecisti.* ? scribas ipse meo nomine. Hoc enim Atticus facere solitus erat, unde illud in epist. 2. Quibus tibi uidebitur, uelim des litteras meo nomine. & epist. 3. Velim, si qui erunt, ad quos scribendum a me existimes, ipse conficias. item ep. 5. 7. & 14. *PRAECLARAS generi actiones* ? *εἰσπραξις*. nam actiones Dolabellae, qui hoc tempore tribunatum pl. gerebat, turpissimae erant. auctor Dio lib. XI. I. & Plutarchus in Caesare. ipse autem ep. 14. Omnium, inquit, conspectum horreo, praesertim hoc genero. & ep. 16. Ad ea, quae me conficiunt, gener accedit. & ep. 23. O dii, generum ne nostrum potissimum, ut hoc uel tabulas nouas? *SIMPLICEM* ? sine coheredibus; ut ego unus creuerim. ep. 2. V. I. *Simplem, ordinariam, non aliquo nouae sollempnitatis genere.*

Cicero S. D. Attico. 13.

AMVRENAE liberto nihil adhuc acceperam litterarum. P. Sifer reddiderat eas, quibus rescribo. De Seruij patris litteris quod scribis, item, Quinctum in Syriam uenisse, quod ais esse qui nuncient: id quidem uerum est. Quod certior em te uis fieri, quo quis que in me animo sit, aut fuerit eorum, qui huc uenerunt: neminem alieno intellexi: sed, quantum id mea interst, existimare te posse certo scio. mihi cum omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maxime, quod in eam causam uenisse me uideo, ut sola uilia mihi esse uideatur, quae semper nolui. P. Lentulum patrem Rhodi esse aiunt, Alexandriae filium: Rhodoq. Alexandriam C. Cassium profectum esse constat. Quinctus mihi per litteras satisfacit, multo asperioribus uerbis, quam cum grauisime accusabat. ait enim se ex litteris tuis intelligere, tibi non placere, quod ad multos de me asperius scripsit: itaque se paenitere, quod animum tuum offenderit: sed se iure fecisse. deinde perscribit, spurcissime, quas ob causas fecerit. sed neque hoc tempore, nec antea patefecisset odium suum in me, nisi omnibus rebus me esse oppressum uideret. atque utinam uel nocturnis, quemadmodum tu scripseras, iuineribus

propius te accessissem. nunc nec ubi, nec quando te sim uisurus, possim suspicari. De coheredibus Fufidianis nihil fuit, quod ad me scriberes. nam & aequum postulant: & quidquid egisses, recte esse actum putarem. De fundo Frustrati redimendo iam pridem intellexisti uoluntatem meam. et si tum meliore loco res erant nostrae, neque tam mihi desperaturi uidebamur. tamen in eadem sum uoluntate. id quemadmodum fiat, tu uidebis. Et uelim, quoad poteris, consideres, ut sit, unde nobis suppeditentur sumptus necessarij, si quas habuimus facultates, eas Pompeio tum, cum id uidebamur sapienter facere, deuimus. itaque tum & a tuo uillico sumpsimus, & aliunde mutuati sumus, cum Quinctus quere-retur per litteras, sibi nos nihil dedisse; qui neque ab illo rogati sumus, neque ipsi eam pecuniam adprehimus. sed uelim uideas, quid sit, quod confici possit, quidq. mihi de omnibus des consilij: & causam nostri. Plura ne scribam, dolore impediatur. si quid erit, quod ad quos scribendum meo nomine putes, uelim, ut soles, facias: quotiesq. habebis, cui des ad me litteras, nolim praetermittas. Vale.

EXPLANATIO

SISER ? non memini me legisse alibi hoc cognomen inter familias Romanas. familiae quidem nomen esse non potest. itaque suspicor de mendo. **SERUII patris** ? Seruij Sulpicij. & addit, patris, propterea quod eodem praenomine & filius appellabatur, ut apparet ex epistolis ad Sulpicium scriptis. Puto autem alio loco me dixisse, apud Romanos in consuetudine fuisse positum, ut, qui primi nati essent filij, patris praenomine uterentur. **Hic uenerunt** : ? Brundisium. **EXISTIMARE te posse certo scio** ? uides enim, nulla omnino re leuari posse dolorem meum. deinde infert, Mihi cum omnia &c. **AEQVVM postulant**, ? quid postularint, cognosce infra, ep. 14. & 16. **NEQVE tam mihi desperaturi uidebamur**. ? Canalicantis liber scriptus habet, Neque tamen mihi desperaturi ita uidebantur: Vbaldini, Neque tamen desperaturi mihi uidebamur. **Tertij**, Neque desperare mihi uidebantur, legendum puto. Neq. tamen desperatum iri mihi uidebamur. **IN eadem sum uoluntate** ? ut redimatur; quamquam res nostrae desperatae sint. **CVM id uidebamur sapienter facere**, ? ante quam ille a Caesare deuictus esset: quo tempore nobis ea res honori fore uidebatur rep. constituta. nunc autem, quoniam fortuna tulit, ut Caesar uinceret, ex euentis stulte fecisse iudicamur. **Tuo uillico** ? in Epiro. **NEQVE ab illo rogati sumus** ? qui enim dare debui non rogatus? **QVOD sit, quod confici possit** ? unde nobis suppeditentur sumptus necessarij. **CAVSAM nostri** ? non est tibi ignotus rerum mearum status. Et hoc dicit, propterea quod, cum illud parum plane posuisset, Quid mihi de omnibus des consilij, (non enim exponit, quibus de rebus consilium dari sibi uelit) adscribendum putauit, cur breuitate usus esset: ideoq. intulit, Et causam nostri, & scis, inquit, res meae quo modo se habeant, & quae me sollicitent, etiam si ego minus explicem.

Cicero S. D. Attico. 14.

NON me offendit veritas litterarum tuarum, quod me, tum communibus, tum praecipue malis oppressum, ne incipis quidem, ut solebas, consolari, faterisq. id fieri iam non posse. nec enim ea sunt, quae erant antea, cum, ut nihil aliud, comites me, & socios habere putabam: omnes enim Achaici deprecatores, ut em qui in Asia, quibus non erat ignotum, etiam quibus erat, in Africam dicuntur nauigaturi. ita, praeter Laelium, neminem habeo culpae socium: qui tamen hoc meliore in causa est, quod iam est receptus. de me autem, non dubito, quin ad Balbum, & ad Oppium scripserit: a quibus, si quid esset laetius, certior factus essem, tecum etiam essent locuti: quibuscum tu de hoc ipso colloquere uelim, & ad me, quid tibi responderint, scribas: non quod ab isto salus data quidquam habitura sit firmitudinis; sed tamen aliquid consuli, & prospici poterit, etsi omnium conspectum horreo, praesertim hoc genero: tamen, in tantis malis, quid aliud uelim, non reperio. Quinctus pergit, ut ad me & Passa scripsit, & Hir-tius: isq. item Africam petere cum ceteris dicitur. Ad Minucium pariter scribam, & tuas litteras mittam, ad te scribam, num quid egerit. HS xxx potuisse mirarer, nisi multa de Fufidianis praedijs, & id uideo tamen. Te exspecto: quem uidere, si ullo modo potes uenire, peruellem iam extremum concluditur. ibi facile est, quod quale sit, grauius existimare. Vale.

EXPLANATIO

VT nihil aliud, & subaudi, esset, quod me consolaretur. **COMITES ME, & SOCIOS HABERE PUTABAM:** qui in Africam ire noluerant, sed remanserant, ut a Caesare ueniam deprecarentur, eos sibi comites reditus in Italiam, & eiusdem consilij socios fuisse dicit. **CULPAE:** peccasse sibi uidetur, quod Brundisij maneat, ceteris ad Africanum bellum proficiscentibus. **RECEPTVS:** a Caesarianis. **SCRIPSERIT:** Caesar. **NON** quod ab isto salus data quidquam habitura sit firmitudinis: cur ita putaret, causam attulit ep. 20. sic enim scribit: Et alia timenda sunt, ab aliisque: & ab hoc ipso quae dantur, ut a domino, rursus in eiusdem sunt potestate. **Hoc genero:** P. Cornelio Dolabella, qui cum Caesare erat. **Quod** genero: tam turpi, tam perdito, tam flagitioso. Et bene, quem admodum ego opinor, ideo dicit, quod Dolabella Caesarem instigabat, ut aut Pompeianorum bona prosciberet, aut tabulas nouas poneret. unde illud ep. 24. Odij, generum ne nostrum potissimum, ut hoc, uel tabulas nouas. Atque etiam huc pertinet id, quod dixit ep. 12. Vides accessisse ad superiores aegritudines, praeclearas generi actiones: item ep. 16. Ad ea, quae me conficiunt, gener accedit, & ibidem: Suspicio coheredes dubiam nostram causam putare. id est, proscritionem meorum bonorum fore putant. **QUINCTVS PERGIT,** & Quinctus frater non cessat de nobis detrahere. **CVM CETERIS:** iis, de quibus supra in hac epistola. **AD MINUCIUM PARITER SCRIBAM,** & ut mihi pecuniam curet. **TVAE LITTERAS MITTAM:** quibus ad eum scribis, ut mihi usque ad HS xxx curet: tantundem te Minucio filio Romae numeraturum. Minucius tamen XII. sola curauit: ut ex epistola, quae proxima sequitur, apparet. **POTUISSE MIRARER:** subaudi, cogi & confici a te de rebus meis. **NISI** multa de Fufidianis praedijs: hic quoque subintelligitur, HS cogi & confici potuisse putarem. quod tamen non ita erat. nam Fufidiana praedia, quae ad Ciceronem hereditate peruenerant, nondum Atticus uendiderat, ut patet ex epistola sequenti. **TE AD UIDEO TAMEN:** quam difficile sit xxx cogi.

Cicero S. D. Attico. 15.

QVONTIAM iustas causas affers, quod te hoc tempore uidere non possum: quae so, quid sit mihi faciendum. ille enim ita uidetur Alexandriam tenere, ut eum scribere etiam pudeat de illis rebus. ij autem ex Africa iam affuturi uidentur. Achaei uero ex Asia redituri ad eos, aut libero aliquo loco commoratur. quid mihi igitur putas agendum? uideo difficile esse consilium. sum enim solus, aut eum altero, cui neque ad illos reditus sit, neque ab his ipsis quidquam ad spem ostendatur. sed tamen scire uelim, quid esse as idq. erat cum alijs, cur te, si fieri posset, cuperem uidere. Minucium XII. sola curasse, scripsi ad te antea, quod superest, uelim uideas, ut iuretur. Quinctus non modo non cum magna prece ad me, sed acerbissime scripsit. filius uero mirifico odio, nihil fingi potest mali, quo non urgear: omnia tamen sunt faciliora, quam peccati dolor, qui & maximus est, & aeternus. cuius peccati socios esse habiturus ego, quos putauit, tamen esset ea consolatio tenens: sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nihilum. alij capiti, alij interclusi non ueniunt in dubium de uoluntate, eo minus scilicet, cum se exproderint, & una esse coeperint. ij autem ipsi, qui suo uoluntate ad ipsum uenerunt, nihil possunt, nisi inuidi existimari. multi autem sunt, qui, quicumque sunt, modo ad illos se recipere uolent, recipientur, quo minus debet mirari, non posse me tanto dolori resistere: solus enim meum peccatum corrigi non potest, & fortasse Laelii: sed quid me id leuat? Cuius quidem Cassum aut consilium Alexandriam eundi mutauisse. Haec ad te scribo, non ut queas tu demere sollicitudinem, sed ut cognoscam,

moscam, ecquid tu ad ea afferas, quae me faciunt: ad quae gener accedit, & cetera, quae, si etu reprimor, ne scribam. quin etiam Aesopi filius me ex cruciat. proxi- mus nihil abest, quin sim miserimus. Sed ad primum re- uertor: quid putes faciendum, occulte ne aliquo prop- rius ueniendum, an mare transeundum. nam hic ma- reri diutius non potest. De Fusidianis quare nihil potuit

confici? genus enim condicionis eiusmodi fuit, in quo non solet esse controuersia; cum ea pars, quae uidetur esse minor, licitatione expleri possit. haec ego non sine causa quaero: suspicor enim, coheredes dubiam nos- tram causam putare, & eorum in integro esse. Vale. Pridie id. Mai.

EXPLANATIO

VT eum scribere etiam pudeat de illis rebus, & quasi bellum cum Ptolemaeo rege coeptum confe- cerit, & negotij iam nihil habeat. Loquitur autem de Caesare. AFFVTURI & in Italia, ut cum Caesare dimicent, unde illud in epistola sequenti, Ante reditum eius, negotium confectum iri puto. ACHAEI & qui post pugnam Pharsalicam primum in Achaia remanserant: deinde in Asiam iuerant, ut a Caesare ueniam impetrarent. ij, omisso petendae ueniae consilio, aut ad Pompeium, inquit, reditu- ri ex Asia uidentur, aut loco aliquo, qui Caesaris in potestate non sit, commoraturi. ALTERO & D. Laelio, quem tamen a Caesarianis receptum iam esse, superiore epistola scripsit: sed uidetur minus cer- tum id fuisse: siquidem patullo post in hac epistola dicit: Solius meum peccatum corrigi non potest, & fortasse Laelij, ex quo manifestum est, incertum adhuc fuisse, num Laelius esset receptus. CUI neque ad illos reditus sit, neque ab his ipsis quidquam ad spem ostendatur. & illos, Pompeianos: his ipsis, Caesaria- nis, XII. & HS. de hoc in epistola superiore. QVOD superest & usque ad xxx. HS. ex quibus XI r. tan- tum acceperat a Minucio, ut XIX. superessent. PECCATI dolor, & nihil, inquit, difficilius est, quam is dolor, quem ex peccati mei recordatione percipio, peccauerat autem in hoc Cicero, quod in Italiam ue- nerat, ut saepe iam dictum est. AETERNVS. & numquam enim eo liberamur. Si socios essem habiturus ego, quos putauit & putari enim alios quoque in Italiam esse uenturos: qui deinde non uenerunt. HABET aliorum & c. & ceteri Pompeiani, qui in Africam non iuerunt, excusari omnes aliqua re possunt, ego nulla, itaque illi reditum habent ad suos, quem ego me habere non puto, qui publicam causam, cum in Italiam ueni, quasi prodidisse uideor. NON ueniunt in dubium de uoluntate & non existimari possunt noluisse in Africam ire: si quidem capti a Caesare, aut interclusi, non potuerunt: ego autem neq. captus sum, neque interclusus: neque tamen in Africam iui: quodq. grauius est, etiam in Italiam ueni. CVM se expederint & nunc reprehendi non possunt, quia non inierunt: apparet enim non licuisse, cum alij ca- pti, alij interclusi essent. si uero exundi uiam nacti, ad exercitum Africanum se conferent; multo mi- nus in dubium uenient de uoluntate. ostendent enim se, cum potuerunt, iuisse. FVSIVM & Q. Fusium, Calenum, quem Caesar, uicto in Pharsalia Pompeio, Achaiae praefecerat: & est is, ut opinor, qui Ci- ceroni post Caesaris obitum acerrime in senatu in M. Antonium inuehenti, respondit. epistola sequen- ti. Caesar l. 3. de bel. ci. Dio. TIMIDI & tantum timidi uideri possunt, nihil praeterea. uenerunt enim sua sponte in Caesaris potestatem, ne, hostium loco habiti, calamitatem aliquam subirent; quam suppli- ces se posse effugere sperarunt, ego autem non timidus solum existimari possum, sed Caesaris quodam modo cupidus, qui in Italiam, quasi conspectum & consuetudinem uictoris appetens, me contulerim: cum eadem ratione, qua ij, qui ad Fusium uenerunt, consulere mihi possem. QVI CVMQUE sunt & etiam si Caesaris causam acriter oppugnant. CORRIGI non potest & neque enim efficere ego quidquam possum, ut peccasse non uidear. alij autem, si qui peccasse putabantur, cum se ad Africanum exercitum contulerint, recepti non iam, amplius reprehendentur: cum mea ratio non eadem sit, nam, quoniam ego multo grauius, quam ceteri, Pompeianos offendi, non recipiar ab illis: itaque fiet, ut solius meum peccatum non corrigatur. CASSIVM & rumor fuerat, Cassium ad Caesarem Alexandriam ire, ut de- precaretur, quod omnino Ciceronis causam aliqua ex parte subleuasset: cum & alios esse constaret, qui uictori se erederent. hic quoque, inquit, consilium mutasse dicitur: ut uideas me, praeter Laelium, culpae socium habere neminem. GENER accedit & perditus, & Caesari malorum consilio sum auctor, etiam in epistola superiore, Praesertim hoc genero. In eum locum, uide, quae diximus. CETERA & ut de domesticis rebus male affectus, ut de Terentiae inopia, ut de Quincti maledictis. EXPLERI & cum hereditas diuidi commode non potest, propter coheredum non aequas partes, ad licitationem confagi- tur; quae certior est, quam aestimatio. ita, omnium bonorum reperto pretio, expletur ea, quae minor esse uidetur, pars hereditatis.

Cicero S. D. Attico 16.

NON meo iudicio su. hoc quidem tempore, (ante magnas habet, non esse ab illo: quas animaduorisse te enim est peccatum) ut me ista epistola nihil existimo. De obuiam utione ita faciam, ut suades. ne- consoletur, nam & exigue scripta est, & suspiciones que enim ualde aduentus eius opinio est: neque, si quis ex Asia



ex Asia ueniunt, quidquam additum esse dicunt de pace: cuius ego spe in hanc fraudem incidi, nihil uideo, quod sperandum putem, nunc praesertim, cum ea plaga in Asia sit accepta, in Illyrico, in Cassiano negotio, in ipsa Alexandria, in urbe, in Italia. ego uero, etiam si reditus ille est, qui adhuc bellum gerere dicitur, tamen ante reditum eius negotium confectum iri puto. Quod autem scribis, quandam laetitiam bonorum esse commotam, ut sit auditum de litteris: tu quidem nihil praetermittis, in quo putes aliquid solatiū esse: sed ego non adducor quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse, ut eam peterē ab illo, & eo minus, quod huius consilij iam ne socium quidem habeo quemquam, qui in Asia sunt, rerum exitum expectant. Achaici etiam Fusio spem deprecationis afferunt, horum & timor idem fuit primo, qui meus, & constitutum: mora Alexandrina causam illorum correxit, meam euertit, quamobrem idem a te nunc peto, quod superioribus litteris, ut, si quid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres. si recipior ab his, quod uides non fieri; tamē, quoad bellum erit, quid agam, aut

ubi sim, non reperio. si uis actor, eo minus, itaque tuas litteras exspecto; easque, ut ad me sine dubitatione scribas, rogo. Quod suades, ut ad Quintum scribam de his litteris: facerem, si me quidquam istae litterae deleterent, etsi quidam scripsit ad me his uerbis: Ego, ut in his malis, Patris sum non inuitus: essem libentius, si frater tuus ea de te loqueretur, quae ego audire uellet. Quod ais illum ad te scribere, me sibi nullas litteras remittere: semel ab ipso accepi: ad eas Cephalioni dedi, qui multos menses tempestatibus retentus est. Quintum filium ad me acerbissime scripsisse, iam ante ad te scripsi. Extremū est, quod te orem, si putas rectum esse, & a te suscipi posse, cum Camillo communices, ut Terentiam moneatis de testamento, tempora monēt, ut uideat, ut satisfaciat, quibus debeat. Auatum ex Philotimo est, eam scelerate quaedam facere, credibile uix est, sed certe, si quid est, quod fieri possit, prouidendum est, de omnibus rebus uelim ad me scribas, & maxime quid scribas de ea: in quo tuo consilio ego, etiam si nihil excogitas: id enim mihi erit pro desperato. Vale. III. non. Iun.

EXPLANATIO

ISTA epistola 3 quae mihi a Caesare reddita est. EXIGVE 3 sine pondere: ut, quod illa epistola continetur, inane dicat. quod idem epist. 17. Inane, inquit, esset, etiam si uerum esset. AB illo 3 a Caesare. a quo epistolam illam scriptam non fuisse, ostendit epist. 17. Intelligis, inquit, illud de litteris ad v. idus Februa. datis non uerum esse. Ac sane fieri potest, ut Oppius eam, aut aliquis alius scripserit; ne Cicero, desperatione adductus, rursus ex Italia discederet. DE pace 3 quam Cicero cum omnino inter Caesarem & Pompeianos factum iri putaret, ut ostendit in epistola ad Calpurnium, in Italiam uenit, statim post pugnam in Thesalia commissam, cuius eum consilij deinde praenituit: itaque infert: Cuius ego spe in hanc fraudem incidi. SPERANDVM 3 de pace. IN Asia &c. 3 enumerat, quot in locis parum secunda Caesaris fortuna fuerit. In Asia: cum Pharnaces Mithridatis filius, pugna cum Cn. Domitio Caluino Asiae praefecto prospere facta, Pontum occupauit. IN Illyrico 3 ob rem a Gabinio minus feliciter gestam, nam, praeter alia incommoda iam accepta, in proelio cum barbaris commisso magnum numerum militum amisit; & ipse paucis post mensibus, summa difficultate rerum omnium pressus, morbo interiit. CASSIANO negotio 3 cum Cassius, & Marcellus, Caesaris in ulteriore Hispania praefecti, dissensione orta, & militum seditione facta, bellū aliquandiu inter se gesserunt. IN ipsa Alexandria 3 cum Caesaris milites perturbati, & ab Alexandrinis loco pulsati, legionarijs circiter quadringentis, & classarijs ac remigibus fere totidem amissis, in naues refugerunt; Caesar autem ipse, magno in periculo uersatus, nauatione sibi consulere coactus est. IN urbe 3 hoc est, quod dicit ep. x. Urbanae res perditae: cum scilicet, absente Caesare, & in bello, quod cum Alexandrinis gestit, occupato, multa male & inutiliter Romae propter contentiones tribunorum pl. & ambitionem tribunorum mil. administrabantur: ut inquit Hirtius lib. IV. quamquam aptius referretur ad M. Antonij libidinem, & auaritiam: de quo his uerbis in 11. Philippica: In urbe auri & argenti foeda direptio, & paullo post: Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? IN Italia 3 hoc quoque ad M. Antonium refero: de quo sic in eadem Philippica: Italiae percursatio comite mima: in opida militum crudelis, & misera deductio. ILLI 3 Caesarem quem adhuc bello Alexandrino distineri, fama erat. NEGOTIVM confectum iri 3 Africanos in Italia fore, unde illud in epistola superiori: Ij ex Africa iam affuturi uidentur. DE litteris: 3 ad me a Caesare missis: de quibus initio loquitur epistolae. Laetitia autem bonorum commota erat: propterea quod de Ciceronis incolumitate dubitandum iam non uidebatur, Caesare ad illum scribente. Huius consilij 3 nemo enim salutem a Caesare petit, nam, qui in Asiam iuerant, ut Caesarem pro salute sua deprecarentur, progredi ulterius noluerunt, sed ibi Alexandrini belli exitum expectant, qui uero in Achaia sunt, Fusio, contra quam antea fecerant, ostendunt se nolle deprecari, & primum illud consilium de salute a Caesare petenda mutauisse. Puto autem legendum esse, Auferunt, non Afferunt. puto tamen, non cenfeo uideretur enim, & Afferunt, posse retineri: ut sit: etiam spem afferunt: spem quidem adhuc Fusio afferunt, iuros se ad Caesarem, ut deprecantur, non tamen eunt. CONSTITVTVM 3 deliberatio, nam constituerunt, Caesari se committere: sed, interposito Alexandrino bello, & Caesaris rebus in discrimen adductis, integrum sibi reseruarunt, belli exitum expectantes. itaq. mora Alexandrina effectū est, ut eorum causa quasi corrigeretur, ut eorum culpa minueretur: si quidem nihil fecerunt, quod P. Scauros,

peianos, qui in Africa bellum renouant, grauius offenderet. & ut Alexandrinum bellum illorum causam iunir, ita meam perdidit. nam, quo minus secunda Caesaris fortuna est, eo magis reprehedor, qui in Italiam venire properaui, causa reip. desperata, Ab his & a Caesarianis. SINE dubitatione & noli enim dubitare, ut eorum ueritas me offendat. De his litteris & quae mihi a Caesare reddita sunt: uis autem me scribere, ut ille, cum mihi non iratum esse Caesarem audiat, ex hoc meo commodo laetitiam capiat. sed, inquit, hoc non facio: primum, quod me istae litterae non delectant; siquidem & exiguae scriptae sunt, & suspensiones habent non esse a Caesare: deinde, quod, ipsum Quintum non esse erga me optime animatum, ex amici litteris intelligo. ILLVM ad te scribere & Quintum. Si putas rectum esse, & a te suscipi posse, & duplex consideratio; num rectum sit, ut omnino de testamento Terentia moueatur; & num moueri ab Attico debeat. illud enim, si putas a te suscipi posse, ut opinor, hoc ualet: si tibi ita familiaris Terentiae uideris esse, ut agere cum ea de testamento possis. CAMILLO & nam hic non minus, quam Pomponius, Ciceronis res & negotia curabat: ut ostendit epistolarum, quae familiares dicuntur, libro XIV. harum autem, quae ad Atticum scribuntur, libro V. ep. 9. & libro VI. ep. 1. De testamento & cupiebat Cicero, a Terentia testamentum fieri, ut illa, cum res suas constitueret, satisfaceret ijs, quibus debebat, nam Cicero, Terentiam eius uxorem debere, minus honorificum uidebatur. mouere autem eam de testamento, commodius erat, quam de solutione, nam, cum testamentum conficeret, necessario sequebatur, ut de solutione cogitaret. SCHELERATE quaedam facere & nefarie rem perdere: unde illud ep. 24. Cum hoc tam paruum de paruo detraxerit: perspicis quid in maxima re fecerit? In epistola etiam ad Plancium Terentiae scelus appellat, eoq; se dicit esse adductum, ut diuortium faceret. Quibus enim, inquit, pro meis immortalibus beneficiis, carissima mea salus, & meae fortunae esse debebat; cum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes unum, nihil in fidiis uacuum uiderem; nouarum me necessitudinum fidelitate contra ueterum perfidiam muniendum putauit. QUID scribas de ea & rectius forrasse, Quid sentias de ea: num scilicet tibi uideatur posse prouideri, ne rem perdat, ut Terentia significetur. PRO desperato & ea de re nihil amplius cogitabo. omnino, inquit, hac in re tuo consilio egeo, siue aliquid excogitas, siue nihil. nam, si aliquid, ne Terentia facultates conficiat, prouidebitur: si nihil, mihi erit ea res pro desperata, itaq; cura liberabor.

Cicero S. D. Attico. 17.

PROBERANTIBVS tabellariis alienis hanc epistolam dedi, eo breuiorem, quod eram missurus meos. Tullia mea uenit ad me prid. id. Iun. deq; tua erga se obsequia beneuolentiaq; mihi plurimae, & posuit litterasq; reddidit trinas. ego autem ex ipsius uirtute, humanitate, pietate non modo eam uoluptatem non cepi, quam capere ex singulari filia debui; sed etiam incredibili sum dolore affectus, tale ingenium in tam misera fortuna uersari, idq; accidere nullo ipsius delicto, summa culpa mea, ita que a te neque consolationem iam, qua cupere te uti uideo, neque consilium, quod capi nullum potest, expecto: itaq; omnia cum superioribus saepe litteris, tu proximis tentasse intelligo. Ego cum Salustio Cicerone ad Caesarem mittere cogitabam: Tulliam autem, non uidebam esse cassam, cur diutius mecum tanto in communi maerore retinerem, itaque eram tibi tam, cum primum per ipsam liceret, remisurus. pro ea, quemadmodum consolandi scripsisti, P. tanta eo me scripsisse,

quae tu ipse intelligis responderi potuisse. Quod Obpium tecum scribis locutum, non abhorret a mea suspiciona eius oratio: sed non dubito, quin illis persuaderi nullo modo possit, ea, quae faciam, mihi probari posse; quoquo modo loquar, ego tamen utar moderatione, qua potero. quamquam, quid mea intersit, ut eorum odium subeam, non intelligo. Te ista causa impediri, quo minus ad nos uenias, uideo; idq; mihi ualde molestum est. Illum ab Alexandria discessisse, nemo nunciat; constatque, ne profectum quidem illo quem quam post id. Mart. nec post id. Dec. ab illo datas illas litteras. ex quo illud intelligis; illud, de litteris ad v. id. Febr. datis, quod inane esset, etiam si uerum esset, non uerum esse. E. Terentium discessisse ex Africa scimus, Paestumq; uenisse. quid is asserat, aut quo modo exierit, aut quid in Africa fiat, scire uelim. dicitur enim per Nasidium emissus esse. id quale sit, uelim, si inuenieris, ad me scribas. De HS x, ut scribis, faciam. Vale. xviii. kal. Quint.

EXPLANATIO

EO breuiorem, quod & Vbaldini liber antiquus, Eo breuior est, & quod probo: ut duabus causis breuior epistola sit; & quod eam dederit proberantibus tabellariis alienis: & quod suos ipse missurus fuerit. CURA mea, & enim negligentia factum est, ut Dolabella nubere; quem ego probare generum non debui, nisi prius omnia perferretur, non solum quod ad mores, sed etiam quod ad facultates attineret, quod si fecissem, eius aere alieno perspecto, numquam passus essem, ut homini in tanta rei domesticae difficultate constituto filia mea collocaretur, sed commisi, ut me absente res per amicos ageretur, quibus in Ciliciam proficiens ita mandauit, ut, quoniam ego tam longe absuturus eram, de Tulliae meae matrimonio agerent ipsi quod proballent, in quo meam negligentiam agnosco, tan tam enim rem aliis committere non debui, sed in reditum meum integram referuare. Cur autem hoc a Cicerone putem significari, facit epistola ad Terentiam his uerbis scripta:

Scripta : Tullia nostra uenit ad me pridie idus Iun. cuius summa uirtute & singulari humanitate grauiore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longe alia in fortuna esset, atque eius pietas ac dignitas postulabat. Dixit autem, Tale ingenium in tam misera fortuna uersari, hoc sensu, quod Tullia uirum haberet tam perditum, tam flagitiosum, tam multa in tribunatu nefarie molientem, siquidem in tribunatu iniquas leges ferre Dolabella conatus est, maxime debitorum causa, e quibus ipse uerus erat. Dio. CVM Sallustio & idem in epistola ad Terentiam: Nobis erat in animo, Ciceronem ad Caesarem mittere, & cum eo Cn. Sallustium. Deinde consilium mutauit, cum de Caesaris aduentu nihil audiretur; ut in proxima sequenti, & in alia ad Terentiam epistola declarat. COMMVNIT maerore & nam utrique in maerore sumus, CONSOLANDIS, &c. & mendum uideo, correctionem adhuc quaero. LOCUTVM & me liberius loqui, quam oporteret. NON abhorret a mea suspitione eius oratio & quod enim ipse dicit, id ego quoque suscipabar, genus sermonum meorum istis non probari. NON dubito &c. & omnino, inquit, parui refert, quo modo loquar. nam istis persuaderi numquam poteris, ea, quae faciat, mihi probari, etiam si oratione utar ad tempus accommodata. QUID mea intersit & omnino enim ad meas aerumnas accedere iam nihil potest. Idem significat ep. 24. Quod, inquit, me mones de uultu, & oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen imperarem mihi, si mea quidquam interesse putarem. ME profectum quidem illo & uel, Illinc, uel Illim, quod idem significat, legendum puto, aptiore sententia, qua si Illo, legas. DE litteris ad V. id. Febr. datis & de quibus initio proxime superioris epistolae. INANE esset, etiam si uerum esset & nam, etsi uerum esset, eas Caesarem scripsisse; tamen apud me non magni ponderis essent, quoniam exiguae, & ut ita dicam, frigide scriptae sunt. NASIDIUM & Pompeianum, ex ordine equestri, quem Caesar l. III. de bello ci. a Cn. Pompeio Magno, L. Domitio, M. filienlibusq. subsidio missum refert, de hoc ipso in fine septimae orationis in Antonium. EMISYS & ex Africa: in qua Pompeiani bellum contra Caesarem parabant, & ex prouincia neminem exire patientebantur, ne de copijs eorum, aut de consilijs Caesar scire posset. Nasidius autem fecerat, ut exire Terentio liceret.

Cicero S. D. Attico 18.

DE illius ab Alexandria discessu, nihil adhuc rumoris, contraq. opinio, ualde esse impeditum: itaque nec mitto, ut constitueram, Ciceronem; & te rogo, ut me hinc expedias. quoduis enim supplicium leuius est hac permansione. hac de re & ad Antonium scripsi, & ad Balbum, & ad Oppium. siue enim bellum in Italia futurum est, siue classibus utetur; hic esse me, minime conuenit: quorum fortasse utrumque erit: alie-

rum certe intellexi omnino ex Oppij sermone, quem tu mihi si scripsisti, quae istorum uia esset: sed, ut eam fleas, te rogo. nihil omnino iam exspecto, nisi miserum. sed hoc perditius, in quo nunc sum, fieri nihil potest. quare, cum Antonio loquar, uelim, & cum istis; & rem, ut poteris, expedias; & mihi quamprimum de omnibus rebus rescribas. Vale. x. kal. Quint.

EXPLANATIO

VALDE esse impeditum & graue adhuc & difficile bellum ei cum Alexandrinis esse. ME hinc expedias & efficias, ut mihi Brundisio discedere concedatur; ubi cum reliquis etiam loci grauitas miserrime perferenda. BELLVM & illatum a Pompeianis, tum quidem uires in Africa Scipione duce colligentibus. UTETVR & Caesar, non exspectans ut in Italiam transjiciant. ISTORVM & Caesarianorum. VIA & ut huc, ubi ego sum, copiae conueniant, in Africam transjiciendae.

Cicero S. D. Attico 19.

CVM tuis dare possem litteras, non praetermisi: etsi, quid scriberem, non habebam. tu ad nos & rarius scribis, quam solebas, & breuius: credo, quia nihil habes, quod me putes libenter legere, aut audire posse. uerum tamen uelim, quid erit, qualecumque erit, scribas. est autem unum, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe:

sed, quia, ut leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum uix est. Philotimus dicitur idibus Sext. nihil habeo de illo amplius. tu, uelim, ad ea mihi rescribas, quae ad te antea scripsi. mihi tantum temporis satis est, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caueam, qui nihil unquam caui. Vale. x. kal. Sext.

EXPLA.

EXPLANATIO

VELIM, quid erit, qualecunque erit, scribas. & rectius, Quod erit, opinor. De pace & nam, si bellū fuisset, erat ei timendum non solum a Caesare, contra quē pugnaverāt, sed etiam a Pompeianis, quos reliquerat. **D**ICITVR *idibus Sext.* & affuturus, cum Caesaris ad me litteris, affuit autem pridie idus, ut ex duabus epistolis ad Terentiam, quae fam. lib. 14. postremae leguntur, manifestum est. **Q**VAE *antea ad te scripsi.* & puto significari illas litteras, quae in fine libri ordine praepostero collocatae sunt, nam, ante hanc epistolam datas esse, dies adscripta declarat. In iis ostendit, Brundisio discedere sibi certum esse, cū dicit: Scribas ad me, cum habebis cui des, & dum erit ad quem des; quod longum non erit. Hic quoque idem ostendit, sed se tamen teneri, dum, ut in pessimis rebus, aliquid caueat. Brundisij, inquit, causa nō est: cur diutius iaceamus. modo tantisper commoremur, dum, ut in pessimis, aliquid caueamus; satis est. cautio autem haec esse poterat, ut prius, quam discederet, de Caesaris rebus, de belli Africani apparatu certiora cognosceret, ut ad inopiam Terentiae propulsandam aliquid conficeret, ut pecuniam pro sumptu suo cogeret, denique etiam ut Philotimi aduentum expectaret, qui litteras a Caesare habere dicebatur. ep. 24. **N**IHIL *umquam caui* & non enim caui, cum initio belli ad Pompeium in Graeciam navigavi: itaque dicit in epistola ad Caecinam: Ut Amphiarus in fabulis, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Multo etiam minus caui, cum in Italiam reverti; siquidem consiliū cepi nec tutum, nec honorificum.

Cicero S. D. Attico. 20.

XVII. kal. Sept. uenerat die XXVIII. Seleucea Peria C. Trebonij, is, qui se Antiochiae diceret apud Caesarem nidisse Quintum filium cum Hirtio: eos de Quinto, quae uoluissent, impetrasse, nullo quidem negotio, quod ego magis gauderem, si ista nobis impetrata quidquam ad spem explorati haberent. sed & alia timenda sunt, ab alijsque; & ab hoc ipso quae dantur, ut a domino, rursus in eiusdem sunt potestate. etiā Sallustio ignouit. omnino dicitur nemini negare. quod ipsum est suspectum, notionem eius differri. M. Gallius Q. F. mancipia Sallustio reddidit. is uenit, ut legiones in Siciliam traduceret: & protinus iturum Caesarem Patris, quod si faciet; ego, quod ante mallem, aliquo propius accedam. Tuas litteras ad eas, quibus a te proxime consilium petui, uehementer expecto. Vale. XVI. kal. Sept.

EXPLANATIO

SELEUCEA Peria C. Trebonij, is & uel antiquis libris repugnantibus emendo, Seleucia Pieria C. Trebonius. fuit autem Pieria Seleucia cognomen quod apud Plinium legimus lib. 5. cap. 9. & eodem lib. cap. 21. nam quod Trebonius, lego, non, Trebonij, is; in eo mutatio nulla est: siquidem ex duarum, I, coitione efficitur V. **Q**UOD *ipsum est suspectum, notionem eius differri.* & nunc enim omnibus ignoscit, non quod omnes uenia dignos putet, sed quod ad uniuscuiusque causam cognoscendam tempus non habet: itaque notionem differt: quod suspectum est. nam, si nunc aliquibus ignosceret causa eorum cognita: iis, quibus ignouisset, nihil amplius timendum esset. cum uero omnibus ignoscat incognita causa; suspectum uidetur esse. nam omnino causam eorum, qui cum Pompeio fuerunt, illum diligentius aliquando cogniturum, uerisimile est. **R**EDDIDIT & quae abstulerat, arbitratus Pompeio ius recuperandi non futurum. nunc, Sallustio a Caesare recepto, & ex eorum numero, qui hostes habebantur, exempto, reddere coactus est. **I**N *Siciliam.* & ut inde post in Africam contra Scipionem, & reliquos Pompeianos transirent. **E**T *protinus iturum* & in Siciliam uidelicet, ut ex epistola, quae proxima sequitur, apparet: ego tamen libentius legerem, Eo protinus iturum, sensu eodem, sed magis aperto. Est autem obseruandum, locutionem hic esse minus integram; cum uerbum desideretur, quo participium, Iturum, referatur. qua tamen figura alibi quoque Ciceronem esse usum animaduertimus, ut ad Lentulum epistola, cuius instum est, Legi tuas litteras. sic enim scribit: Placebat illud, ut, si rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui pecunias ei credidissent, fidem suam praestitisset, & auxilijs eum tuis, & copijs adiuuaret: eam esse naturam, & regionem prouinciae tuae, ut illius reditum uel adiuuando confirmares, uel negligendo impedires. Verbum enim, Esse, unde regatur non est. **P**ROPIVS *accedam* & propius urbem, quod non fecisset, si Caesar, qui ex Asia ueniebat, omnia Sicilia ex Graecia in Italiam recta nauigasset, nam cum Brundisij, ubi erat, expectasset, ut aduenienti occurreret, & deprecaretur. itaque dicit, Quod si faciet, id est si in Siciliam ibit, ego propius accedam.

Cicero S. D. Attico 21.

ACCIEP I. VI. kal. Sept. litteras a te, datas XII. kal. doloremque, quem ex Quinctii scelere iam pridem acceptum iam abieceram, lecta eius epistola grauissimum cepi. tu etsi non potuisti ullo modo facere, ut mihi illam epistolam non mitteres: ita tamen mallem non esse missam. Ad ea autem, quae scribis de testamento, uidebis, quid, & quo modo. De nummis, & illa sic scripsit, ut ego ad te antea; & nos, si quid opus erit, utemur ex eo, de quo scribis. Ille ad kal. Sept. Athenis non uidetur fore. multa enim in Asia dicuntur morari, maxime Pharnaces. legio XII, ad quam primum Sulla uenit, lapidibus egisse hominem dicitur. nullam putant se commoturam. illum arbitrantur protinus Patris in Siciliam. sed, si hoc ita est, huc ueniat necesse est. ac mallem illum, aliquo enim modo hinc euasissem. nunc metuo, ne sit expectandum: & cum reliquis

etiam loci grauitas hic miserrime perferenda. Quod me mones, ut ea uideam, quae ad tempus accommodata facerem, si res pateretur, & si ullo modo fieri posset: sed in tantis nostris peccatis, tantisque nostrorum iniurijs, nihil est, quod aut facere dignum nobis, aut simulare possem. Sullana confers: in quibus omnia genere ipso praeclarissima fuerunt, moderatione paullo minus temperata: haec autem eiusmodi sunt, ut obliuiscar; multoq. malim quod omnibus sit melius, quorum utilitati meam iunxi. Tu ad me tamen uelim quam saepissime scribas, eoq. magis, quod praeterea nemo scribit: ac si omnes, tuas tamen maxime expectarem. Quod scribis, illum per me Quincto fore placatiorem: scripsi ad te antea, eum statim Quincto filio omnia tribuisse, nostri nullam mentionem. Vale.

EXPLANATIO

ILLA sic scripsit, ut ego ad te antea: & scripserat autem Terentia Ciceroni, cum ei HS X mitteret, nihil esse reliquum: ut ex epistola constat, quae post duas sequentes legitur. quam epistolam ante hanc esse datam, ex adscripta die manifestum est. PHARNACES & qui Pontum occupauerat, & excessurus sine bello non uidebatur. AD quam primum Sulla uenit & uenerat autem, ut legiones in Siciliam traduceret: quo Caesar Patris iturus erat. NULLAM putant se commoturam & nisi acceptis praemijs, quae Caesar promiserat: unde in epistola sequenti: Currunt ad illum pulsi a militibus, qui se negant usquam, nisi acceperint. SI hoc ita est & legiones ex Italia nolle discedere, neque ullo pacto eos, quos Caesar misit, in Siciliam secuturas. EVASISSEM & illo autem absente, dubijs quid agerem, uenia nondum impetrata, neque tamen desperata, Brundisij inuitus permansi. QVAE ad tempus accommodem & uultum, & orationem: unde illud ep. 24. Quod me mones de uultu, & oratione ad tempus accommodanda; etsi difficile est, tamen &c. NOSTRORVM iniurijs & Quinctum fratrem, & Terentiam significat: Quinctum, qui maledictis offenderet; Terentiam, quae facultates absumeret. DIGNVM nobis & nam orationem & uultum ad tempus accommodare, dignum Ciceronis prudentia fuisset. Hoc, inquit, non possumus, dolore perturbati: qui quidem dolor efficitur & ex nostris peccatis, & ex nostrorum iniurijs. peccata autem Ciceronis erant, primum, quod ad Pompeium in Graeciam nauigasset, cum de Caesaris uictoria coiicere posset: deinde, quod in Italiam reuertisset, cum id neque tutum, nec honorificum uideretur. SVLLANA confers. & credibile est, Atticum in hanc sententiam scripsisse: Feramus quae sub Sulla tulimus: haec enim eiusmodi fere sunt. Hic Cicero respondens, Sullana, inquit, genere ipso praeclarissima fuerunt; nam Sulla senatus dignitatem contra perditam & seditiosam plebem defendebat: moderatione non admodum temperata; siquidem eos, quos sibi minus amicos fuisse intelligebat, occidit. OBLIUSCAR, multoq. malim, quod omnibus sit melius, & dictio uidetur deesse, ad quam referatur uerbum, Obluiscar, fortasse igitur sic: Obluiscar mei, idq. malim, quod omnibus sit melius: siquidem in antiquis Bessarionis, Tertij, Vbaldini, & Maffei libris pro Multoq. malim, legitur, Mittoq. malim. NOSTRI nullam mentionem. & scribis, inquit, Caesarem mea causa Quincto fore placatiorem. uide, quam secus sit. Quincto filio, cum pro patre deprecaretur, omnia tribuit, nostri mentionem nullam fecit: ut apud Caesarem non modo ego alios commendare non possim, sed etiam commendatione ipse uidear indigere.

Cicero S. D. Attico. 22.

DILIGENTER mihi fascisculum reddidit Balbi tabellarius. accepi enim a te litteras, quibus uideris uereri, ut epistolas illas acceperim: quas quidem uellem mihi nunquam redditas. auxerunt enim mihi dolorem: nec, si in aliquem incidissent, quidquam noui attulissent. quid enim tam peruulgatum, quam illius in me

odium, & genus hoc litterarum? quod ne Caesar quidem ad istos uideretur misisse, quasi quo illius improbitate offenderetur, sed, credo, uti notiora nostra mala essent. Nam quod te uereri scribis, ne illi obsint, eiq. rei meditari ne rogari quidem se passus est de illo. quod quidem mihi molestum non est: illud molestius, istas impetraciones

iones nostras nihil ualere. Sulla, ut opinor, cras erit
cum Messalla, currunt ad illum pulsi a militibus;
ui se negant usquam, nisi acceperint. ergo ille huc ue-
ret: quod non putabant: tarde quidem; itinera enim ita
fecit, ut multos dies in Opidum ponat. Pharnaces au-
tem, quo modo agit, afferet meam. quid mihi igitur cen-
set? nam enim corpore uix susineo grauitatem huius

caeli, qui mihi laborem affert in dolore. An his illuc
euntibus mandem, ut me excusent, ipse accedam propius?
quaeso, attende; & me, quod adhuc saepe rogatus non
fecisti, consilio iuua. scio rem difficilem esse: sed, ut in ma-
lis. Etiam illud mea magni interest; te ut uideam. profe-
cto aliquid profecero, si id acciderit. De testamento, ut
scribis, animaduertes. Vale.

EXPLANATIO

EPISTOLAS illas & Quintus Cicero epistolas contra Marcum fratrem scripserat ad Caesarem. Caesar illas ad Oppium & Balbum misit: illi Attico dederunt: Atticus ad M. Ciceronem curauit perferendas. **Q**UASI quo illius etc. & ne Caesar quidem, inquit, illas epistolas, a Quinto contra me scriptas, ad Balbum & Oppium misit, quasi quo illius improbitate offenderetur, sed credo, ut incommoda divulgarentur, mea: **N**E illi obsint, & scribis te uereri, hae litterae, contra me ad Caesarem scriptae, ne ipsi Quinto, qui scripsit, apud Caesarem obsint: id est, ne Caesar, hae improbitate offensus, diffidat illi sit ad ignoscendum. (nam, quod in Pompeij partibus fuisset, hoc sibi ut ignoscereetur, Quintus petebat) hoc, inquit, non est, ut pertimescas. tantum enim abest ut ita sit, ut etiam Quinto statim omnia Caesar concesserit, deq. illo ne rogari quidem se passus sit. quod idem in fine superioris epistolae dicit his uerbis: Scripsi ad te antea, eum statim Quinto filio omnia tribuisse. & in ea, quae proxima superiorem antecedit: C. Trebonius se Antiochiae dicebat apud Caesarem uidisse Quintum filium cum Hirtio: eos de Quinto, quae uoluissent, impetrasse, nullo quidem negotio. Et aduertendum est, Ciceronem, cum eandem rem iterum & tertio significaret, non iisdem tamen uerbis usum esse. **E**T QUAE rei mederi & te. nam cum Balbo & Oppio Romae Atticus agebat, ut Quintum Caesari litteris commendarent, ueritus ne illi epistolae contra fratrem scriptae nocerent: nam M. Ciceronem Caesari putabat esse curae, ut etiam illius causa crederet Quinto fore placatiorem, quod ex fine superioris epistolae cognoscitur. **N**IHIU ualere & causam explicat in epistola, quae ante proximam superiorem legitur. **C**URRUNT ad illum & Sulla & Messalla erant ex iis, quos Caesar in Italiam miserat, ut legiones in Siciliam traducerent. quos milites male acceperunt, negantes se usquam esse ituros, nisi a Caesare praemia, quae superioribus bellis promiserat, accepissent. **P**ULSI a militibus & nam XIIII legio, ad quam primum Sulla uenerat, lapidibus egisse hominem dicebatur. in epistola superiore. **U**T multos dies in opidum ponat. & non explano, ut in uno quoque opido multos dies Caesar consumat, sed, ut ab opido ad opidum multorum dierum itinere perueniat, quale illud est ep. 3. lib. 12. Ne totum die in uillam. ubi subaudio, Ponam; dum in uillam eo. **Q**UO modo agit, & frequens locutio apud Ciceronem: Quo modo nunc est, consules transferunt: Quo modo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet: Quo modo res se habet, non est facillima. ep. 1. lib. 8. & 49. lib. 12. & ad Q. fr. 3. lib. 1. Quae ego sensum & loquendi modum secutus, legere malui, Quo modo agit, quam, ut antea, Quoquo modo agit, ut epist. 22. lib. 14. Dicit autem, Quo modo agit, propterea quod Pharnaces Ponto, quem occupauerat, non decedebat: ut ea res Caesari in Italiam proficiscenti moram allatura uideretur. **C**AELI, qui mihi & uidetur, Quae mihi, legendum: ut referatur ad, Granitatem. **L**ABOREM & languorem, non nulli. ego nihil muto, refertur, enim ad uerbum, Sustineo. **A**N his illuc euntibus mandem, ut me excusent? & his, Sullae, & Messallae. Illuc: ad Caesarem. Excusent: quod Brundisio discesserim, & propius urbem accesserim. **U**T in malis. & iuua, inquit, me consilio. plane hoc non facile fieri potest: sed iuua, si non quantum opus est, at quantum licet in malis, ep. 3. lib. 12. eodem sensu dixit, Pro malis. Multo plus, inquit, proficeret solitudo, si tu interesses. quae mihi una causa est hinc discedendi. nam, pro malis, recte habebat, & ad Torquatium epistola 2. lib. 6. fam. Quod, inquit, maiore in uarietate uersata est adhuc tua causa, quam homines aut uolebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum quod moleste feras. Dixit etiam in Bruto non dissimili sententia: L. Coelius, ut temporibus illis, ualde doctus, & de Senectute: Multae, ut in homine Romano, litterae. Et in epistola ad Marcellum: Ut in tali re, fortuna laudatur. Ut in malis, autem, ut in pessimis, ut in perditis rebus, nota locutio est: itaq. non afferam exempla: tantum dicam, in Vbaldini libro scripto legi, Scio rem difficilem esse sed in malis; in libro Caualcantis, Sic rem difficilem esse sed ut malis: in tertio, Teruij, Scio rem difficilem esse sed ut in malis. ut ex trium exemplarium uarietate non temere locus emendari uideatur. **E**TIAM & altera causa, cur propius accedere uellet, prima enim erat illa, quod grauitatem caeli Brundisii uix iam corpore sustinebat. **D**E testamento, & quod a Terentia fieri Cicero cupiebat, ut iis, quibus debebat, satisfaceret. **A**NIMADVERTES & quid? opinor, id quod dixit in epistola superiore: Quid a Terentia in testamento ponatur, & quo modo ponatur.

Cicero S. D. Attico 23.

QUOD ad te scripseram, ut cum Camillo commu-
nicares, de eo Camillus mihi scripsit, te cum eo lo-
cutum. tuas litteras exspectabam: nisi illud quidem
mutari, si aliter est ut oportet, non uideo posse: sed cum
a nullo accepissem litteras, desideravi tuas, (cui putabam
te fortiozem factum non esse) modo ualeres. scripseras enim te quodam ualitudinis genere tentari. Au-
gustus quidam Rhodo uenerat VII. id. Quint. is nun-
ciabat, Quintum F. ad Caesarem profectum XV. kal.
Iun. Philotimum Rhodum pridie eius diei uenisse, ha-
bere ad me litteras. ipsum Augustum audies. sed tar-
dius iter faciebat. eo feci, ut celeriter eunti darem. quid
sit in ijs litteris, nescio: sed mihi ualde Quintus frater
gratulatur. equidem in meo tanto peccato nihil ne cogi-
tatione quidem assequi possum, quod mihi tolerabile pos-
sit esse. Te oro, ut de hac miseria cogites, & illud, de
quo ad te proxime scripsi, ut aliquid conficiatur ad ino-

piam propulsandam, & etiam de ipso testamento, illud
quoque uellem antea; sed omnia timuimus, melius quidem
in pessimis nihil fuit dissidio, aliquid fecissemus, uiui
uel tabularum nouarum nomine, uel nocturnarum
expugnationum, uel Metellae, uel omnium maiorum,
nec res perisset, & uideremur aliquid doloris uiribus
habuisse, nemini omnino tuas litteras; sed & tempus il-
lud: est quiduis praestitit, nunc quidem ipsa uideatur
denunciare. audimus enim de statu reip. o. di. generum
ne nostrum potissimum, ut hoc uel tabulas nouas pla-
cet mihi igitur, & idem tibi, nuncium remitti. pete. for-
tasse tertiam pensionem. considera igitur tum, ut uim
abuso nascetur, an prius. ego, si ullo modo potuero, uel
nocturnis itineribus experiar, ut te uideam, tu & haec,
& si quid erit, quod intersit me scire, scribas uelim.
Vale.

EXPLANATIO

VT CUM Camillo communicares; hoc quid esset, de quo Atticum communicare cum Camillo uo-
lebat, ostendit epist. 7. Extremum, inquit, est, quod te orem, cum Camillo communices, ut Teren-
tiam moneatis de testamento. Easq. litteras hic significat, cum dicit, Quod ad te scripseram. SCRIPSI TE
te cum eo locutum; antiqui libri duo, Vbaldini, & Caualcantis, habent: Scripsisse cum locutum: ut for-
tasse corrigendum sit, Scripsit secum locutum: figura magis propria, quam si legas, Scripsit te cum eo
locutum. nisi si quis offenditur, quod, Te, subintelligi uideat: cum huius generis apud Ciceronem mul-
ta sint. NISI illud; hic dictio, Nisi, idem fere significat, quod Sed: ut in epistola ad Memmium, lib. 13.
epist. 1. Nec, cur ille tantopere contendat, uideo, nec, cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi con-
cedi potest, quam illi, laborare sine causa. Et ad Philippum, eodem libro epist. 73. De re nihil postlam
iudicare; nisi illud mihi certe persuadeo, te talem uirum nihil temere fecisse. ILLUD; testamentum,
uel, quod scriptum est in testamento. SI aliter est, ut oportet; testamentum a Terentia factum aliter
est, ut re uera non erat: quod ex duabus antecedentibus epistolis apparet; quas post hanc scriptas es-
se, cum alia significat, tum illud in primis, quod in hac, Quintum filium ad Caesarem esse profectum,
in illis a Caesare omnia dicit impetrasse. A NULLO; Caualcantis liber, A nil lo, corrigendum puto, Ab
illo, idest a Camillo. FORTIOREM; non putabam te profus ualere. PROPECTVM; ut pro patre de-
precaretur. HABERE ad me litteras; a Caesare, quas accepit pridie idus Sext. ut ex epist. 13. lib. XIV. ad
Terentiam cognoscitur. GRATVLATUR; quod existimet Caesarem iratum mihi non esse, cum ad
me scribat. NE cogitatione quidem; sensus est, Quintus frater mihi gratulatur, quod Caesar me scri-
bat. ego autem, tantum abest, ut propter has litteras gaudeam, ut nihil ne cogitatione quidem repe-
re queam, quod mihi tolerabile possit esse. Dicit autem, In meo tamen peccato, propterea quod graui-
ter sibi peccasse uidebatur, qui statim post pugnam Pharalicam, Pompeianorum uiribus nondum pla-
ne extinctis, in Italiam uenisset. idq. diuersis nominibus appellat, temeritatem. epist. 8. stultitiam epist.
XI. peccatum epist. 15. DE hac misera cogites; de Terentia, ne egeat, ad hoc autem, ut ex epist. sequenti
conijcitur, Atticus ita respondit: Terentiae nostra & tua parata erunt. DE quo ad te proxime scripsi, ut
aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam; significat litteras III. nonas Quint. datas, quae sunt in fi-
ne huius libri perturbato ordine collocatae. quibus in litteris, quod ad inopiam propulsandam perti-
neat, hoc est: Te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi, conficiq. potest, quod sit in tuto, ex argento. ne-
que satis multa ex supellestite; des operam. Volebat autem Cicero, cum propter Caesarianorum licentiam
de urbis direptione timeret, ea, quae pretij maioris erant, neque loci multum occupabant, ut
argentum, aut aliquid simile, seponi, & occultari, ne diripientibus paterent: quod apertius dicit in
epistola sequenti; quoniam Atticus, Ciceronem de uenditione scribere, uidebatur esse. interpretatus.
DE ipso testamento; ut Terentia testamentum faciat, & in dictione, Ipso, inest emphasis: quasi dicat, de
quo scis me laborare, & de quo saepe iam ad te scripsi. ILLUD quoque uellem antea; uellem antea nobis
curae fuisset, ut Terentia testamentum faceret: sed omnia timuimus: nimis, inquit, timidi fuimus: nam
peritum sumus, ne, si illam de testamento moneremus, mulier suspiciosa offenderetur. & dicit, Illud quo-
que

que, ut ostendat alia etiam a se esse praetermissa. MELIUS quidem in pessimis nihil fuit dissidio } erratum a nobis est, quod Terentiam antea de testamento non monuimus, ueriti, ne moleste ferret: sed in eo maior culpa fuit, quod disidium non fecimus, cum in pessimis melius nihil esset. Et ostendit, ne ipsum quidem disidium sine aliqua difficultate fuisse, sed, ut in pessimis, optimum tamen fuisse. ALIQUIN fecisse mus, ut nisi uel tabularum, &c. } uel aliquid desideratur, uel in his ipsis uerbis mendum later. sentus esset non absurdus, si ita legeretur: Aliquid fecissemus, ut utri, uel tabularum, & quae sequuntur. nam infert paullo post, Et uideremur aliquid doloris uirilis habuisse. VEL tabularum nouarum nomine, uel nocturnarum expugnationum } causae, cur disidium honeste facere uisus esset. nam, cum pecuniam, quam Romae habebat, neque ipse domi suae, aut apud amicos tuto custodire posset, cum nocturnae domorum expugnationes timerentur, neque apud argentarios deponere, cum de tabulis nouis rumor esset, quibus credita pecunia, recuperandi iure sublato, amittebantur: dixisset, se quidem alia ratione sibi cauere non potuisse, nisi diuortium faceret, & eam pecuniam pro dote redderet. Ad hunc locum pertinent ea, quae diximus ep. I. I. huius libri. VEL Metellae, uel omnium maiorum } sic omnes antiqui libri, quorquor ipsi uidimus, tentauimus, si possem ingenio locum emendare: non successit omnino: sed, quia duae uidentur esse causae faciendi disidij, ad proximas duas additae: putauimus, pro Maiorum, legi posse Malorum. in illo, Metellae, nihil assequor. Nec res perisset } quam Terentia consumpsit. quod damnum, illa dimissae effugisset. Et uideremur aliquid doloris uirilis habuisse } Terentia uidenda MEMINI omnino tuas litteras, sed & tempus illud, & si quiduis praestitit. } quo modo nunc locus interpungitur, sententiam non elicio, quae probetur, mallem sic distinguere. Memini omnino tuas litteras, sed & tempus illud. etsi quiduis praestitit. hoc sensu, Memini omnino, quid tu mihi olim scripseris, cum scilicet, ut diuortium facerem, suadebas, sed memini (hoc enim uerbum subintelligitur) & tempus illud: quod eiusmodi erat, ut de diuortio non uideretur esse cogitandum. nam, cum ciuile bellum esset, & Terentiam dimittere, nisi dos redderetur, non possem, non fuit committendum, ut tam duris temporibus ea pecunia, quam habebam, priuaretur: itaque, cum dicit, Memini & tempus illud, quasi se excusat, quod Attici litteris non paruerit, quasi dicat: Illo tempore si Terentiae nuncium remissem, fore suspicabar, ut in magnam deinde rei nummulariae difficultatem inciderem: sed incidere tamen in quamuis difficultatem praestitit, quam Terentiam non dimittere. Et hoc significat, cum dicit, Etsi quiduis praestitit. Irs A uidetur denunciare. } ipsa, Terentiae denunciare, diuortium. AVD I MYs enim de statu reip. } reddit rationem, cur Terentia uideretur diuortium denunciare. Statu reip. misero uidelicet, & perditio, maxime propter Dolabellae tribuni pl. ambitionem, & licentiam: unde Cicero coniecturam faciebat. Terentiam diuortium esse facturam, utpote quae dubitaret, ne, si Dolabella tabulas nouas posuisset, quod uelle uidebatur, tam perturbato statu ciuitatis de dote ueniret in dubium. itaque, uelle eam, dum liceret, sibi cauere diuortio facto, ante difficultatem illam temporum a Cicero ne dotem recipere, uerisimile erat, propterea non dixit, denunciare, sed uidetur denunciare, quod ipse, denunciaturam, coniectura perspicat. Quod autem in nostro libro, contra quam in alijs omnibus, legitur, De statu reip. odij, &c. sic emendauimus, adducti ueterum exemplarium uarietate. nam liber Caualcantis habet, De statu reip. odij: Vbaldini, Deestati Clodi: Maffei, De statuti Clodij. Vt hoc, uel tabulas nouas } subaudi, cogitet, in animo habeat, uel aliquid huiusmodi. Hoc: quidpiam iniquius, de quo generum suum Dolabellam aduerat legem esse laturum, sed mihi magis placet, totum illud, Hoc, uel tabulas nouas, non duas res, sed unam significare. nam, si duas significat, cur secundam nominat, primam non item? qui enim poterat Atticus intelligere, quid sibi uellet uerbum, Hoc, nisi a Cicerone apertius exponeretur? placet igitur, ut dixi, unam rem significari, & illud, Vel tabulas nouas, interpretationem esse dictionis, Hoc: ut paritula, Vel, sententiam non mutet, sicuti cum ponitur pro aut, sed augeat, quo modo posita est in quadam epistola ad Quintum fratrem: Tu nobis amicissimum Sextium cognosces, credo tua causa Lenulum, & in libris Academicis: Per me uel stertas licet, non modo quiescas. Legem autem de tabulis nouis Dolabellam, pertulisse non constat, sed, laturum esse, rumor fuit, atque etiam tentasse apparet. cuius rei argumentum est, quod in Philippica VI. Trebellium tabulis nouis aduersatum fuisse, legitur: & ex Dionis historia libro XL I. inter P. Dolabellam, qui debitorum causae fauebat, e quibus ipse unus erat, & L. Trebellium, tribunos pl. graues & perpetuas fuisse contentiones, intelligitur. Trebellij autem tribunatus omnino in ea Philippica significatur, sed argumentari non oportet: aperte L. Florus, Dolabellam, inquit, de tabulis nouis legem ferentem, seditiones excitatae. aperte etiam Plutarchus in Antonio. NUNCIVM remitti } Terentiae: ut, quod illa factura est, praeripiamus. hoc enim refertur ad illud, Ipsa uidetur denunciare. TERTIAM pensionem: } ut reddam uniuersam dotem. nam dos, facto diuortio, tribus pensionibus soluebatur. TVM, ne uim abuso nasceretur } sic Maffei liber: sic & Caualcantis & Besfariensis. forte, Tum ne, cum ab ipsa nasceretur, an prius ego, id est, tum ne cogitandum de dote, cum ipsa disidium denunciabit, an prius ego denunciem.

Cicero S. D. Attico. 24.

QVAE dudum ad me, & quae etiam ad meam Tulliam de me scripsisti, ea sentio esse uera. eo sum miserior, (etsi nihil uidebatur addi posse) quod mihi non modo irasci grauissima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune liceat. quare istud feramus: quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetua, quae

da, quae tu, ne accidant, ut caueamus, mones. ea enim est a nobis contracta culpa, ut omni statu, omniq. populo eundem exitum habitura uideatur. sed ad meam manum rediero. etenim haec occultius agenda. uide quae-
 fo. etiam nunc de testamento, quod tum factum, cum illa quaerere cocperat. non credo, & commoti neque eum rogari, ne me quidem. sed quasi ita sit: quoniam in ser-
 monem iam uenisti, poteris eam monere, ut alicui com-
 mittat, cuius extra periculum huius belli fortuna sit. equidem tibi potissimum uelim, si idem illa ueller: quam quidem caelo miseram; me hoc timere. De illo altero, scio equidem uenire nunc nil posse: sed sepom, & occul-
 tari possunt, ut extra ruinam sint eam, quae impendet. Nam quod scribis, nobis nostrae, & tua Terentiae fore parata: tua credo: nostra quae poterint esse de Teren-
 tia autē (mitto cetera, quae sunt innumerabilia) quid ad hoc addi potest? scripseras, ut HS x i i. permuta-
 ret, tantum esse reliquum de argento, misit illa cccc mibi, & adseripit, tantum esse reliquum: cum hoc tam paruum de paruo deiraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit? Philotimus non modo nullus uenit, sed ne

per litteras quidem, aut per nuncium certiores facit me, quid egerit. Ephebo qui uenit, ibi se etiam de suis controuersijs in uis aduentem uidisse nunciant: quae quidem (ita enim uerisimile est) in aduentum Caesaris fortasse reijciuntur. ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celerius proferendum, & eo me magis esse despectum: aut, etiam si quid habet; id, nisi omnibus suis negotijs confectis, ad me referre non curet. ex quo magnum equidem capio dolorem, sed non tantum, quantum uideor debere. nihil enim mea minus int ere esse pu-
 to, quam quid illinc afferatur: id quamobrem, te intel-
 ligere certo scio. Quod me mones de uultu, & oratione ad tempus accommodanda: etsi difficile est, tamen im-
 perarem tibi, si mea quidquam interesse putarem. Quod scribis, litteris, putare, Africanum negotium confici posse: uelim scriberes, cur ita putares mihi qui-
 dem nihil in mentem uenit, quare id putem fieri posse: tu tamen, uelim, si quid erit, quod consolationis aliquid habeat; scribas ad me. sin, ut perspicio, nihil erit, scribas id ipsum. ego ad te; si quid audiero citius, scri-
 bam. Vale. viii. id. Sexti. multorum in, possit

EXPLANATIO

QVAE dudum ad me, & quae etiam ad meam Tulliam; hic locus antea in uulgatis omnibus libris mendose legebatur, nos eum ex antiquo Speciani libro restituumus. EA sentio esse uera; & sentio, nisi meum dolorem occultabo, grauissimum impendere damnum. Quod tamen damnum ostendit Cicero uitari a se minime posse, cum infert: Istud seramus: quod cum tulerimus, tamen eadem erunt perpetienda, quae tu, ne accidant, ut caueamus, mones. GR AUISSIMA iniuria accepta; & puto, quod Brundisij, sine ulla dignitate grauissimo caelo, diutius manere cogeretur, praesertim cum & ex litteris Dolabellae, Caesaris mandato confectis, in Italiam uenisset, (ep. 7.) & Oppius deinde ita promississet, Caesari non solum de conseruanda, sed etiam de augenda illius dignitate curae fore. ep. 6. OMNI statu, omniq. populo; uideo enim mihi iratum fore Caesarem, quod contra eum pugnauerim; infestos Pompeianos, quod ab ijs discesserim. EYNDEM exitum; quod perniciem, & interitum rerum mearum. AD meam manum rediero; locum, antea deprauatum, emendauimus ex antiquo Speciani libro; in quo ita scriptum esse, Vbaldinus Bandinellus, homo grauis, & certus, affirmat, Mea, inquit, manu scribere incipiam. COMMOTI neque eum; eodem modo libri scripti, locus corruptus: quare ad reliqua pergamus. QVASI ita sit; non credo, inquit, testamentum a Terentia esse factum: sed, quasi factum sit, quoniam de testamento, cum ea sermonem iam habuisti, poteris monere, ut alicui committat, &c. QVONIAM in sermone iam uenisti; hoc dicit, quia, nisi Atticus iam antea de testa- mento cum ea locutus esset, suspicari Terentia potuisset, se ideo moneri, quod extra belli periculum ipsa non esset, quod Cicero nolebat, itaque infert paullo, post. Quam quidem caelo miseram me hoc timere. Opinor autem rectius, in sermonem, nam, Venire in sermone, minus usitata locutio, opinionem nostrae subscribit Vbaldini liber. CUIUS extra periculum huius belli fortuna sit; nam Terentiae fortuna de committendo alicui testamento monere posse: siquidem cum ea de testamento iam antea in sermo- nem uenerat: ut suspicari ita posset, quam ob causam moneretur. De illo altero; quod scilicet ad te scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam. De hoc autem iam epistolis Atticum rogauerat, proxima superiore, & proxima sequenti. VENIRE nunc nihil posse; hoc enim Atticus rescripserat. SEPONI, & occultari; ut argentum, & laucior supellex, declarat in epistola sequenti. QVAE impendit; timebat urbis direptionem, cum audiret quotidie caedes & incendia fieri, omnia misceri, atque turbari, tribunos pl. Dolabellam & Trebellium, alterum alteri infestum, opportuna urbis loca hominibus ar- matis occupasse. Dio libro x l i i. MITTO cetera; quae ille inique, & scelerate fecit. QUID ad hoc addi potest; quid hoc indignius esse potest? Hoc: quod proxime sequitur, SCRIPSERAS; ad Terentiam, apparet Atticum aliquo exisse, inde Romam ad Terentiam scripserat, ut HS x l i i millia, quae de argento reliqua essent, id est scutatatos 360. Brundisium in Ciceronis usum permutaret, cccc; his noris decem millia nummum significantur: decem autem millia nummum, & decem quadrantes aereos, quos hodie uocant, duodecim ualer: cum & quattuor sestertij denarium efficiant; & denarius, si ad Veneram monetam redigatur, pro sexdecim marculis sit, quemadmodum apud ueteres pro sexdecim assibus: ut appareat, quos nunc quadrantes dicimus, apud antiquos trientes as- sum fuisse. Cum igitur ad Terentiam, Atticus scripserat, ut Ciceroni HS x l i i millia mitteret; decem

decem milia tantum illa misit, duo reliqua auertit. *Nullus uenit*, sic Plautus in *Afinaria*: *Quem in tonstrinam iusseram uenire, is nullus uenit.* In *Bacch.* *Nullus affueris.* In *Trin.* *Nullus credas.* Et *Terentius* in *Eun.* *Nullus mones.* In *Hecy.* *Nullus dixeris.* Ipse *Cicero* infra, *Sextus ab armis nullus discedit.* *ADVENTVM Caesaris* & cum *Ephesum* adueniet, confecto *Alexandrino* bello in *Italiam* reuertens. *AVR nihil puto* & cum *Philotimus* *Ephesi* tempus tereret, coniecturam faciebat, ipse ijs litteris, quas ille a *Caesare* ferre dicebatur, nihil esse, quod celerius perferri opus esset. nam, si quid liberalius *Caesar* scripsisset, uerisimile erat *Philotimum* litteras sine ulla mora ad *Ciceronem* fuisse perlaturum. de his autem litteris in epistola proxima superiore, & in fine libri *XIV.* ad *Terentiam.* *NON curet* & forte, *Curat.* alioqui *duriuscule* positum uidetur. *QV ID illinc afferatur* & a *Caesare*, ex *Alexandria.* *TE intelligere certo scio* & intelligis enim, eam a nobis contractam esse culpam, ut neque apud *Caesarem* locus, neque apud *Pompeianos* sit futurus. hoc apertius supra, in hac ipsa epistola: *Nihil igitur mea minus interest, quam de Caesaris rebus quid afferatur.* quaecumque eius fortuna erit, idem exitus me manet. In sequenti etiam epistola, illum, inquit, discessisse *Alexandria*, rumor est: quod uerum, an falsum sit, quoniam mea nihil interest, utrum malim, nescio. *DIFFICILE est*, & cur difficile esset, ostendit epist. 22. *SI mea quidquam interesse putarem* & cur hoc tua nullam in partem putaret interesse, declarat epist. 17. his uerbis: *Non dubito, quin istis persuaderi nullo modo possit, ea, quae faciant, mihi probari posse, quoquo modo loquar.* ego tamen utar moderatione, qua potero, quamquam, quid mea interest, ut eorum odium subeam, non intelligo. *QV OD scribis, litteris, putare, Africanum negotium confici posse*: & subaudiendum praenomen, *Te*, quod referatur ad uerbum *Putare.* sensus hic est, *Scribis te putare, inter Caesarem, & Pompeianos, qui in Africa sunt, litteris utrimque mittendis pacem posse fieri.* unde infert: *Si quid erit, quod consolationis aliquid habeat, scribas ad me, praeter pacem autem, unde consolationem capere, aut quid optare possit, nihil erat itaque epist. 19.* *Vnum, inquit, est, quod mihi sit optandum, si quid agi de pace possit: quod nulla equidem habeo in spe; sed quia tu leuiter interdum significas, cogis me sperare, quod optandum uix est.* *SI quid audiero citius* & hoc dicit, quia, cum *Brun-dilij* esset, propius aberat ab *Africa*, quam *Atticus*, qui *Romae* erat.

Cicero S. D. Attico. 25.

FACILE assentior tuis litteris: quibus exponis pluribus uerbis, nullum te habere consilium, quo a te possim inuari. consolatio certe nulla est, quae lenare possit dolorem meum. nihil est enim contractum casu: nam ad esse ferendum: sed omnia fecimus is erroribus, & miseris & animi, & corporis, quibus proximi utinam mederi maluissent, quam obesse. quoniam neque consilij tui, neque consolationis cuiusquam spes ulla mihi ostenditur: non quaeram haec a te posthac. tantum uelim, ne pristinum hoc officium intermitas: scribas ad me, quidquid ueniet tibi in mentem, cum habebis, cui des, & dum erit, ad quem des: quod longum non erit. illum discessisse *Alexandria*, rumor est non firmus, ortus ex *Sulpicij* litteris: quas cuncti postea nunciij confirmarunt. quod uerum, an falsum sit, quoniam mea nihil inter-

est, utrum malim, nescio. Quod ad te iam pridem de testamento scripsit apud epistolam uelim ut possim aduersas ego huius miserrima facultate confectus confictor. nihil umquam simile natum puto. cui si qua re consulere aliquid possum, cupio a te admoneri. uideo eandem esse difficultatem, quam in consilio dato: attamen hoc me magis sollicitat, quam omnia. In pensione secunda caeci fuimus. alium mallet. sed praeterijt. te oro, ut in perditis rebus, si quid cogi, conficiq. potest, quod sit in tuto, ex argento, neque satis multa ex supellectile, des operam. iam enim mihi uidetur adesse extremum, nec ulla fore condicio pacis, eaque, quae sunt, etiam sine aduersario peritura. haec etiam, si uidebitur, cum *Terentia* loquere opportune. non queo omnia scribere.

Vale. III. non. Quint.

EXPLANATIO

OMNIA fecimus &c. & designat haec in primis, suam profectionem ad *Pompeium*, cum in *Graeciam* nauigauit; & reuersionem in *Italiam*, cum, *Pompeio* acie deuicto, in *Caesaris* potestatem sua sponte uenit. quod utrumque dicit se fecisse propter errores, & miserrimas & animi, & corporis, hoc est incaute prorusus, & inconsiderate; cum intelligat, se, profectione ad *Pompeium*, *Caesarem* offendisse; reuersione in *Italiam*, *Pompeianos*: ut ob has causas locum sibi neque apud *Caesarem* fore, neque apud *Pompeianos* sperare possit. **P**ROXIMI & frater *Quinctus*, uxor *Terentia*, gener *Dolabella*. *Quinctus* filium miserat, qui eum apud *Caesarem* accularet; odiumq. acerbissimum, & nocendi uoluntatem ostenderat. *Terentia* facultates consumplerat. *Dolabella* tribunatum improbe gerebat. de *Quincto* epist. 8. 10. 15. 16. 21. 22. de *Terentia* epist. 17. & 24. & famil. epist. 14. lib. 4. de *Dolabella* epist. 12. 14. 15. & 24. & *Dio* libro *XLII.* *Plutarchus* etiam in *Caesare*. Recte igitur dicit, proximis nouum sibi dolorem attulisse, cum curare potius, quantum in ipsis esset, ueterem animi aegritudinem deberent. **QV OD longum non erit.** & significat, se aut in tantis molestijs non diu posse uiuere, aut in alias terras uelle migrare. **CUNCTI** & *Maffei* liber pro, *Cuncti*, habet, *Eunti*; *Vbaldini*, *Eutes*. **SCRIPTI** apud epistolas & deprauata uerba: neq. secus uetera exemplaria, nisi quod, *Scripsit*, *Maffei* liber, & qui *Bellationis* fuit, habent. **MISERRIMA** & locus est ab omni parte corruptus. **SIMILE natum** & *Vbaldini*

fini liber, Ita leuatum, meum iudicium non interpono: propterea quod sensum uidere non possu-
 mus, cum ea, quae proxime antecedunt, & ipsa propter mendam obscura sint, & haec, quae conse-
 quuntur, iisdem tenebris inuoluuntur. **C O N S I L I O** dando: attamen & tale illud est epist. 2. lib. 13.
 Tuas litteras hodie expectabam, nihil equidem ut ex ijs noui: quid enim? uerum tamen. aliaq. alibi
 eiusdem generis. **C A E O I** suimus & cum eam Terentiae dedimus. Cicero diuortium cum Terentia
 facere noluerat, ne secundam pensionem daret: quamquam Atticus auctor esset, ut omnino diuor-
 tium faceret. deinde, ne Terentia egeret, secundam pensionem dedit, neque tamen diuortium fecit,
 quod ita esse, constat ex epistola, quae ante superiorem proximam legitur; in qua haec uerba: Placet
 mihi, & idem tibi, nuncium remitti. petet fortasse tertiam pensionem. **A L I V M** mallem & recorda-
 tus orationem esse de praeteritis, sententiam non perfecit; quodq. instituerat dicere, omittens, intulit,
 Sed praeterijt. **Q U O D** sit in tuto, & hoc iterauit superiore proxima epistola, cum dixit: Seponi,
 & occultari possunt, ut extra ruinam sint, eam, quae impendet. **N E Q U E** satis multa ex supellestile
 non dicit supellestilem parum multam esse, sed parum multa esse in supellestile, quae pretij ma-
 ioris sunt, & seponi debeant. **N E C** ulla fore condicio pacis, eaque, quae sunt, etiam sine aduersario peri-
 tura. & ponit duas cauillas, cur uideatur adesse extremum: primum, quod inter Caesarem & Pom-
 peianos pacis condicio nulla erit, & omnino decerneretur armis: deinde, quod, etiam si bellum a Pom-
 peianis non fit, tamen haec uel sine aduersario peribunt. corruant enim necesse est, cum nullo iure,
 nullis legibus nitantur. Er hoc dicit, quia, cum Caesar bello Alexandrino detineretur, in urbe pro-
 pter contentiones tribunicias ad arma uentum erat; & militibus in ciuitatem receptis, per uim omnia
 gerebantur. Dio lib. XLII. & Hirtius lib. 4.

E X P L A N A T I O



IN · EPISTOLARVM
M · TVLLII · CICERONIS

A D

T · POMPONIVM · ATTICVM

LIBRVM · XII.

PAVLLI · MANVTII
COMMENTARIVS



Cicero S. D. Attico. I.



VNDECIMO die postquam a te discesseram, hoc litterularum exaravi, egrediens e uilla ante lucem: atque eo die cogitabam in Anagnino, postero autem in Tusculano, ibi unum diem. v. Kal. igitur ad constitutum: atque utinam continuo

ad complexum meae Tulliae, ad osculum Atticae possim currere. quod quidem ipsum scribe quaeso ad me; ut, dum consisto in Tusculano, sciam, quid grarriat: sin rursus licatur, quid scribat. eiq. interea aut scribes salutē, aut nunciabis, itēmq. Piliae: & tamen, et si continuo

congressuri sumus, scribes ad me, si quid habebis. Cum complicarem hanc epistolam, noctu abundus ad me uenit cum epistola tua tabellarius. qua lecta, de Atticae febricula scilicet ualde dolui. reliqua, quae expectabā, ex tuis literis cognoui omnia. sed quod scribis, igniculum matutinum *ἡσπαιτιχὸν* est memoriola uacillare. ego enim *iv. kal. Axio* dederam, tibi *iii. Quinto* quo die uenissē, id est v. kal. hoc igitur habebis, noui nihil. quid ergo opus erat epistola? quid, cum coram simus, & garrimus quidquid in buccam? est profecto quaedam *λέξις*, quae habet, etiam si nihil subest, collo- cutione ipsa suauitatem. Vale.

EXPLANATIO



AD CONSTITVTVM } ut conuenit inter nos, ut constituimus, & praemitit loci nomē, ubi v. Kal. esse constituerat, quod hac de re cum Attico ante discessum locutus erat, ut nominare necesse non esset. nam, cum dicit, v. Kal. igitur; aduerbiū, Igitur, hoc desiderat, ut una locuti sumus, ut tu scis me constituisse. & obseruandum est, Constitutū, esse uerbum iuris, ut in oratione pro Caecina, Qui ad constitutum experiundi iuris gratia uentissent. & pro Coelio, Cum sit ijs constitendum, numquam se ne congressu quidem, & constituto coepisse de tantis iniurijs experiri. nam in iudicium alter alterum uocabat die cōstituta. &, quoniam saepe accidit, ut ijs, qui litigant, non eo die, quem sibi ad agendam causam constituerunt, iudicio disceptent, sed in alium diem differant: ideo in epistola ad Marium, translatione a litigantibus sumpta, dixit, Si quod constitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas: hoc est: Si tu fortasse his diebus, quibus nos una futuros esse uides, podagrae medicinam facere constitueras: differ in alium diem: ne te ex curatione infirmum & languentem offendamus; sed bene ualentes, hilarius & li-

M m beralius